6
39-d
32

...theca
...l. Rom.
Jesu

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
38 B
27

63 C 32
63 C 58

6-39.D.32

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

JO. FRONTONIS C.R.
Academiæ Pariſ. Cancellarii

EPISTOLÆ SELECTÆ,

AD SER. ET EM. PRINCIPEM
CARD. BULLIONIUM
MAGNUM FRANCIÆ
ELEEMOSYNARIUM.

Bibliot. Secr.



Coll. Rom.

LEODII EBURONUM,
Apud Guilielmum Henricum Streel,
S.C.S. Typographum. 1674.

Soc. *Superiorum Permiſſu.* Jesu

SERENISSIMO,

ET

EMINENTISSIMO

PRINCIPI,

CARDINALI BVLLIONIO,

MAGNO FRANCIÆ

ELEEMOSYNARIO.

CUm in manus meas R. P. J. FRONTONIS C. R. & Academiæ Pariſienſis, dum viveret, Cancellarii, Epiſtolæ ad Illuſtriſſimos, Reverendiſſimosque Eccleſiæ Prę ſules, & clariſſimos ac integerrimos Senatores & Præſides, diverſis temporibus cōſcriptę incidiſſent, easq; in unum Volumen redactas, Doctorum Virorum ſuaſu & hortatu pręlo mandare ſtatuiſſem, non diu

deliberavi cuinam hancce qualemcumq; Operam meam conſecrarem;ſtatim occurriſti SERENISSIME & EMINENTISSIME PRINCEPS, ut qui ſolus tot clariſſimorum, illuſtriſſimorumq; Virorum titulis, CELSITUDINIS TUÆ nomine, novum fulgorem, claritatemq; addere & conciliare poſſes. Celeberrimi Academiæ Pariſien. Cancellarii Lucubrationes, præcipuo ejuſdem Ornamento dedicandas cenſui; & quidem ſingulas percurrenti, ipſamet Epiſtolarum materia id poſtulare mihi viſa eſt.

Prima, de Philoteſiis Veterum diſputat; in eâ multa afferuntur ad illuſtrandam divinæ Euchariſtiæ inſtitutionem, & generoſa D. Lamberti Epiſcopi libertas, ipſas inter regias epulas laudatur: Te in ampliſſimâ D. Lamberti Baſilicâ omnium Ordinum gratulatione, divina Euchariſtię Myſteria ſingula-

ri, & modeſtiâ & majeſtate, celebrantem, ut omnes noſtri Leodienſes cōſpexêre;ita Veterum Philoteſias in quibus teſte Plutarcho, & philoſophari & amicitiæ curam gerere conſueverant,prçclarè imitantem admirati ſunt. In ſecundâ, Origo Parochiarum ex antiquiſſimis Eccleſiæ monimentis explicatur; quis Te antiquitatis Eccleſiaſticæ,& ſcientiſſimum & amantiſsimum ignorat? In tertiâ,Eccleſiam Catholicam, Scripturarum Canonicarum ſinceritatem, & viciſſim Scripturas Canonicas Eccleſiæ Catholicæ veritatem, omnium hçreticorum telis inconcuſſam probare apertiſſimè demonſtratur. Tu SER. & EM. PRINCEPS publicis theſibus inviĉtiſsimè progugnaſti,regnum Eccleſiæ Catholicç,regnum eſſe omnium ſæculorum; quam qui non audierit, pro Ethnico & Publicano habendum.

Quarta, Mores Chriſtianorum in primis Eccleſiæ ſæculis tanquam in mundiſsimo ſpeculo exhibet, ſummamq; in pauperes charitatē ante oculos fidelium ponit; vitæ integritate, morum innocentiâ, eximiâ in pauperes miſericordiâ præditus, ad puriſsimam lucem quæ multorum offendit oculos, ſecurus intendis. In quintâ, Familia Chriſtiana deſcribitur: Te & Sereniſsimos Principes Fratres tuos, inſigni pietate toti orbi notiſſima, chariſſima Parens teſtamento ſuo Chriſtianam ſanctitatē ſpirante, illius integerrimi Senatus Pariſienſis Præſidis curæ præcipuè commiſit, cui Familiæ ſuæ Chriſtianæ Idæam J. FRONTO obtulit. In ſextâ, De Canonicis Cardinalibus agitur, Eminentiſſimo R. E. Cardinali, & Per-Illuſtris Leodienſis Eccleſiæ Canonico, quæ ſe R. E. Filiam gloriatur, ap-

primè congruit. In Septimâ Auguſtiſsimum Crucis Signum, contra Judæorum, Gentilium, Hæreticorumque calumnias vindicat, & omni honore ac reverentiâ proſequendum, Imperatorum, Regum ac Principum illuſtribus exemplis, & Sanctorum Patrum authoritate clariſsimè evincit: quemadmodum per Generoſiſſimos, Nobiliſsimosq; Bullionii Duces proſtratum à Saracenis ſalutis noſtræ Trophæum rurſus erectum Jeroſolyma gratulata eſt. Ita per Te in plurimis Catholicorum Eccleſiis ab hæreticorum impietate expurgatis, publicæ fidelium venerationi expoſitum eſſe, omnes Catholici gratulantur. Ultima denique de nomine, dignitate, officio Epiſcopi eleganter diſſerit; In aulâ Regis Chriſtianiſſimi Epiſcopalibus Infulis polles, & munia Epiſcopi ſingulari omnium ap-

plauſu exerces; Teq; in celeberrimis totius orbis Eccleſiis ii quibus pietas, ſcientia, animarum ſalus cordi eſt; in Præſulem, & Paſtorem, & Parentem, & Principem, à Deo ſupplicibus votis expoſcunt: Hæ prȩſertim rationes (ut taceam particulares quibus erga CELSITUDINEM VESTRAM devinctus ſum, propter ſuæ in me benevolentiȩ & bonitatis teſtimonia) impulerunt me, SERENISSIME & EMINENTISSIME PRINCEPS, ut in fauſtis hujus anni primordiis hoc Tibi qualecumque obſequii mei monimentum offerrem, in quo indelebili caractere, & in plurima ſæcula duraturo inſcriberem me

SERENISSIMÆ & EMINENTISSIMÆ CELSITVDINIS VESTRÆ,

Humillimum & Obſequentiſſimum Servum

GUILIELMUM HENRICUM STREEL.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ΦΙΛΟΤΗΣΙΑΙ VETERUM.

EPISTOLA,

IN QUA RITUS ANTIQUI
Seſe in compotationibus ſalutandi
tractantur,& ad illuſtrandam divinæ Euchariſtiæ inſtitutionem
multa afferuntur.

AD ILLUSTRISSIMUM
ET NOBILLISSIMUM D. D.
PETRUM BELLEVRÆUM
DOMINUM DE GRIGNON, &c.

ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO D. D. PETRO BELLEVRÆO, D. DE GRIGNON, &c.

F. I. FRONTO, C. R.

MEMINI Vir Illustrissime, cùm ſimul Bellomontii eſſemus, noſque lautâ cœnâ clariſſimus Harlæus exciperet, ac tuæ ſanitati nobiles Convivę, qui illíc frequentes aderant, variis propinationibus apprecarentur, te quæſiviſſe, unde mos ille ſic in menſâ convivas ſalutandi, ijſque fauſta apprecandi prodiiſſet; meque tunc paucis, morem hunc eſſe antiquiſſimum, cujus in Homero, & aliis vetuſtis authoribus mentio fit, & Philoteſiam ab illis vo-

[BIBL]IOTECA NA[Z.] ROMA [VIT]TORIO EMANUELE

cari, reſpondiſſe. Nunc verò cum ab Vrbe ſeceſſi diebus illis quibus largiter bibunt homines, & reciprocatis crebrò ſanitatibus, ſanitatis ſuæ haud multam rationem habent; eo, inquam tempore, quo permulti etiam illorum qui Curios ſimulant, Bachanalia vivunt, ne ſeceſſus meus otioſus ſit, ſtatui tibi ſcribere quæ in vetuſtis authoribus de conſuetudine illâ deprehendi. Et ne ſtylus meus excurrat, quid mihi ſit conſilii hac in Epiſtolâ, paucis definio: nec enim bibentium vinum antiquos mores, aut ſolemnes ritus deſcribo: ſed ea ſolùm affero, quæ inter bibendum amicitiæ, vel nectendæ, ac conciliandæ, vel firmandæ & ſanciendæ causâ peregere. Neque dum profanis iſtis immoror, extra præſcriptas viro religioſo, & Theologo lineas feror. Quæ enim hîc dicturus ſum, illuſtrandæ divinæ Euchariſtiæ inſtitutioni proderunt, multò magis quàm rabbinica illa, quæ aut ὁ πάντα τολμῶν Scaliger, aut hujus poſtea in hac materiâ cenſor & ſpongia Buxtorfius pro-

tulere. Inſtituta eſt proculdubio divina Euchariſtia à Chriſto Domino, ut nobis eſſet ſacerrima & immortalis Philoteſia ; cum illic edamus & bibamus, ut amemus. Rem itaque adorior.

Philoteſia vox eſt amicitiam, & ſalutationem ſignificans, ut ex Suida manifeſtum Φιλοτήσια, inquit, Φιλία δεξίωσις. Et apud Homerum Φιλοτήσια ἔργα ea ſunt quæ ab amore proficiſcuntur. Unde Euſtathius Φιλοτήσια τουτέστιν ἐρωτικά. Poſtea ab authoribus vox illa eo ſenſu uſurpata eſt, quo alternas propinationes, quæ in compotationibus fiunt ab amicis, exprimeret. De quibus ut agam, notandi ſunt ſtatim ab initio ritus, cum quibus peractæ fuerunt celebres illæ propinationes, ne illos ſæpius repetere cogamur, quoties varia Philoteſiarum genera afferemus. Itaque vino in calicem infuſo, Diis in primis libatum, cum eorum invocatione ab eo qui rex convivii erat, aut qui amicos menſâ, vel domo excipiebat, vel ab eo denique qui amicitiæ litabat, ut ex Homero, Phi-

Οδυσ. λ.

loſtrato, & aliis didicimus. Deinde ori ſuo admoto calice & deguſtato vino, aſſidenti amico, vel advenienti hoſpiti propinabat, proſpera omnia illi apprecando, qui & ipſe accepto poculo bibens alteri poſtea tradebat: ſicque alii ſi plures eſſent, quouſque finito circulo, finis compotationi imponeretur. Dum hîc Deorum invocationem commemoro, duo notanda occurrunt, quæ hoc in loco omitti non debent. Primum invocationem Deorum fuiſſe triplicem; prima fuit illa qua quid ab illis petitur. Et hæc initio convivij uſurpata eſt: Noſtrates benedictionem vocant: Alia laudes Deorum continet: hæc in medio cœnæ celebrata in Scoliis, de quibus dicam. Tertia erat gratiarum actio, quæ ſub finem convivii nunquam omiſſa fuit. Quo tempore quia divinum Sacramentum Chriſtianorum inſtitutum fuit, idcirco Euchariſtia dicitur. Alterum quod hîc animadvertẽdum iſtud eſt. Ea ſuper quæ Dij vocati ſunt altero quovis trium antedictarum invocationum

genere, exinde ſacra, & ſancta reddita fuiſſe, & ex ipſo invocationis momine appellata, vel ἐυλογίας vel ἐυχαριστιάς, aut τοῦ παγάνου: Vimque mirificam his invocationibus tribuere ſolent veteres, non tantùm ut ſancta reddãt ea quæ attingunt, ſed etiam ut tranſmutent, ritibus quibuſdam adjunctis. Redeo ad Philoteſias. Fuerunt hæ aliæ ſubitaneæ, ut in adventu, vel diſceſſu hoſpitis, aut amici: aliæ verò intra convivia celebratæ. In utriſque autem vix dubitare poſſim quin paulùlum panis diſtribueretur, uno pane in tot fruſtula diviſo, quot aderant Philoteſiæ participes. Favet certè alicubi Athenæus: diſertè autem id aſſerit Diogenes Laërtius. *In Pythagora.*

Certum eſt ex Homero, adventante ſive amico, ſive hoſpite, domo eum exceptum fuiſſe cum libatione vini diis facta, & porrecto illi poculo, cum verborum formulâ quâ felicem ei adventum optavere, & ritu conſimili diſceſſuri hoſpites dimiſſi fuerunt, precantibus iis qui dimittebant ut cum Deo irent, & proſpero itine- *Iliad.*

re uterentur. Et hæ ſunt Philoteſiæ ſubitaneæ, & extemporales. Conſimile aliquid egere Chriſtiani veteres: hoſpites aut amicos excipiebant præmiſsâ ad Deum oratione,& Corpore Chriſti ſanctiſſimo, ante quemvis cibum, eos refeciſſe, valde probabile eſt. Erat enim inter illos hoſpitalitatis teſſera, & amicitiæ mutuæ ſacramentum, & quivis Chriſtianus domi Euchariſtiam habebat: eo ſcilicet tempore, quo privatę domus tam ſanctæ, quàm poſtea Eccleſiæ fuerunt, ut ait ſanctus Cryſoſtomus. Quæ verò Philoteſiæ intra convivia agitatæ fuerunt, cœnæ finem impoſuerunt, ut docent Heſychius voce φιλοτησία & Athenæus. Solebant nempe veteres in poſtcœniis, & poſtremis menſis bono genio, & Jovi ſervatori, tanquam Diis amicitiæ præpoſitis de meliori vino libare, deinde mutua propinatione inviolatam ſibi amicitiam polliceri, ſibi proſpera omnia exoptare, & poculum, quod poſtquam ex eo bibiſſent, porrigebant, Philoteſiam appellavere,

Lib. 3. cap. 2.

ut Suidas, & Ariſtophanis Scoliaſtes teſtantur. Cantare autem ſolitos in illâ ultimâ compotatione, & cantando ſibi amica & bona verba dixiſſe, probant Scolia, de quibus poſteà dicam. Itidem coronati, & unguentis delibuti Philoteſias ſuas agitarunt: tum ut alacres ſe & curis ſolutos oſtenderent; tum ut amantes ſe hoc pacto demonſtrarent: Coronati enim fuere qui amaverunt; ac ſi amor reges faceret, quos inſidet; tum denique ut Deo magno ſe ſervire innuant, qui amicorum nomen profitentur: primariorum quippe ſacerdotum fuit coronis caput ſuum exornare. Et Chriſtus Dominus in poſtcœnio quoque ſuum amoris perfecti ſymbolum inſtituit. Quam conſuetudinem per aliquot annos retinuere Chriſtiani. Dicemus poſtea cur illud potiſſimum tempus delegerunt veteres, ut amicitiæ litarent, ejuſque ſacramenta peragerent. Sed verò quoſdam cœnas incœpiſſe mutuis propinationibus, diſertè aſſerit Athenæus, quibus Deos primum, dein-

In Acharn.

Lib. 4. cap. 13

de convivas ſalutavere, &illis optimam & lætam cœnam, is qui porrigebat, exoptabat. Sic Philoteſias habemus & initio & fine conviviorum. Chriſtiani quoque id quam primùm uſurpavere ut ante omnẽ cibum, à ſancto pane cœnã inchoarent: & antequam ſimul comederent, amicitiam ſuam renovarent, omneſque ſimultates excluderẽt. Certum quoque inter bibendum in medio epularum, amicorum memores fuiſſe; & de nomine illos appellaſſe, non præſentes ſolùm, ſed etiam abſentes, & toties ſæpè bibiſſe quot in eorum nominibus fuere litteræ, aut in manibus digiti, aut quot annos vixiſſent. Quę quia fusè perſequitur Guillelmus Stukius libro antiquitatum convivalium, pluribus hìc ſuperſedeo. Aſcribendam tamen exiſtimavi formulam quâ in hujuſmodi compotationibus uſi fuere: *Benè nos, benè vos, benè me, benè te, benè etiam Stephanium noſtram.* Senſus eſt, benè nos vivere precor. Græcorum formulam paulò diſcrepantem à Latinâ, quam Stukius non attigit, habemus in con-

Lib. 3. cap. 13 & 14.

vivio Luciani, ubi Alcidamas, poſtquam ἐπεπώκει, *benè potus erat*, puellæ nubenti quod nomen eſſet, quæſivit, deinde ſic ei adbibit, προπίνω σοι ὦ Κλεάνθη Ἡρακλέους Ἀρχιγέτου. *Præbibo tibi Cleanthi, Herculis Archigetæ nomine.* Ridentibus iis qui aderant; ridetis inquit, εἰ τῇ νύμφῃ προὔπινον ἐπὶ τοῦ ἡμετέρου Θεοῦ τοῦ Ἡρακλέους *quod ſponſæ, Herculis Dei noſtri nomine propinaverim.* Addit, *atqui niſi ſcyphum à me traditum accipiat. &c.* Habet S. Ambroſius lib. de Eliâ & Jejunio quæ hanc conſuetudinem illuſtrare poſſint. *Quid autem,* inquit, *obteſtationes potantium loquar? Quid memorem ſacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatoris, & qui non biberit, ſit reus indevotionis. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro eius ſalute non biberit. O piæ devotionis obſequium! bibamus pro ſalute exercituum, pro comitum virtute; pro filiorum ſanitate, & hæc vota ad Deum pervenire judicant.* Et Chriſtiani in ſacro Miſſæ ſacrificio, in quo offerentes, & poſtea comedentes ac bibentes Corpus & Sanguinem Chriſti, genus quoddam Philote-

ſiæ exercuere longè ſanctiſſimum, de nomine illos appellarunt quos aut amicos habebant, aut Deo commendatos volebant. Volitantes autem intra cœnam Philoteſias canticis veteres exornarunt, quæ Scolia dicta ſunt, de quibus authores cum dicant multa, hoc unum ad rem noſtram facit. Genus eſt cantici minimè vulgare, atque adeo quod pauci canere poſſent: qui alijs præibat, poculum manu tenendo, canticum inchoavit, poſtea hauſto è poculo vino, reliquũ alteri porrexit, non ei qui ex ordine ſequitur, ſed cui vellet, & qui eſſet cantandi peritus: & iſte alteri, pari regulâ ſervatâ, & ſic τὸ ποικίλον καὶ πολυκαμπὲς τῆς περιόδου σκολιὸν ὠνομάσθη. *varia & flexuoſa poculi circumductio fecit ut canticum Scolion* id eſt *obliquũ diceretur*, ut ait Plutarchus. Sunt ergo Scolia παροίνια ἄσματα. Videndus eſt Scoliaſtes Ariſtophanis in Veſpas. Chriſtianos in primoribus Eccleſię annis Philoteſias non ſpreviſſe, teſtantur eorum Agapæ, quæ ſuo nomine amorem æquè innuunt, ac illæ. Inter quas

Sympoſ. lib. 1. q. 7.

& pia cantica cantitarunt, quæ Scolia vocat Clemens Alexandrinus, tam in Pædagogo, quam in Stromatis, ubi Philoteſias Chriſtianorum tractat. Has etiam memorat Gregorius Nazianzenus, ut Stukius notavit, ubi eos Chriſti memores fuiſſe, & ſignum crucis tunc uſurpaſſe, aſſerit. Ejus verba ego poſtea afferam. Diu perſeveravere piæ Chriſtianorum Philoteſiæ, & quod narrat doctiſſimus Hadrianus Valleſius rerum Francicarum lib. 33. ex hac priſcâ conſuetudine venit, *ad epulas invitatur, (* B. Lambertus*) à Principe. Pippinus cæterique illuſtres viri qui aderant, ſcyphum quiſque ſuum ab Antiſtite benedici, aut, ut alii dicũt, de manu eius poculum accipere, piâ ambitione cupiebant. Cum Alpais, [pellex Principis] (nam & ipſa pleno convivio intererat) ſcyphum ſuum à Landeberto ſignari optaret, indignabundus Epiſcopus palatio exceſſit convivarũ hilaritate confuſa.* Iſta inquam cum iis quæ in hac epiſtolâ proferuntur comparata, antiquos mores convivarum Chriſtianorum redolent. Hæc de Philoteſiis in fine; in principio, & in medio

Pædagog. lib. 2. cap. 3. Strom. lib. 6. pag. 659. Edit. ultim.

cœnæ peractis. Deorum ſuorum
memores fuerunt & initio cœnæ
iis libantes, ſicque convivium
Iuli- auſpicati: & in fine, quando ut
anus dixi ſacrificavere bono genio, &
Imp. Jovi ſervatori, quos proculdubio
Or. 3. amicitiæ, cujus myſteriis tunc ſe
vacare crediderunt, numina eſſe
exiſtimavere; denique etiam in
medio cœnæ illos invocarunt,
nam Scolia ſive cantica, de qui-
bus dixi; Deorum laudes, & He-
roum continebant. Ut Pæanas mit-
tam, qui haud dubiè in Deûm ho-
Lib. norem dicti ſunt. Præterea multa
15. inſeruere ad mores pertinentia,
cap. ut probat Caſaubonus in notis ad
13. Athenæû. Legum etiam proœmia
cecinere juniores poſt Pæanas, ut
Apud ex Charonda Cataneo liquet. Quæ
Stobæ omnia in Agapis Chriſtianorum
um fuere in uſu, ut ſuo loco demon-
ſerm. ſtrabo. Ex quibus apparet ſerias
42. admodum & graves fuiſſe vete-
rum Compotationes, inter quas
*καὶ φιλοσοφεῖν καὶ φιλοφρονεῖν & Philo-
ſophari & amicitiæ negotia tractare*
Sym- conſueverunt, ut in Plutarcho vi-
poſ. 1. demus.
q. 1. Erunt fortè qui exiſtiment Phi-

loteſias ad populum, & plebis fecem fuiſſe ablegatas, quaſi à vulgaribus tantùm hominibus frequentarentur. Verùm non deſunt argumenta, quibus probemus, viros etiam Principes iis uſos fuiſſe. Nam Suidas ait * antiquos Reges epulum publicè præbẽtes, vinum phialis aureis & argenteis temperatum, à pincernâ accepiſſe, eoque deguſtato, quod magni amoris ſignum eſſet, etiam calicem cui volebat dediſſe. Dies autem qua id fiebat Philoteſia dicta eſt, nomine ab amicitiâ ducto. Et S. Gregorius Nazianzenus irridet Philoteſias Juliani Imperatoris ut parum decoras, Oratione quartâ, quæ eſt ſecunda contra Julianum. Quin & cum Diis ipſis Philoteſias aliqui exercuiſſe videntur. Ait enim idem Suidas Ætholos Athenas veniſſe vinum portantes φιλοτησίας τῆς ἐκ τοῦ Θεοῦ κοινωνῆσαι, καὶ τοῖς τῆς Ἀθήνας τροφίμοις βουλόμενοι Philoteſię quæ à Deo eſt, communicare volentes, unà cum Palladis alumnis. Deos autem cum hominibus cœnitaſſe, & bibiſſe credidere priſci mortales; juxta illud Ovidii.

* *Voce* προπίνειν.

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat, & menſis credere adeſſe Deos.

Non ſenſere hi cum Ariſtotele, qui in Ethicis ad Nicomachum ait, Deum inter & homines amicitiam eſſe non poſſe, propter maximam eorum diſtantiam: tamen ille ipſe libro decimo ait, Deos præ aliis illos homines charos & amicos habere, qui virtutibus pręditi, contemplationi ſe dediderunt; ac ſi viri boni & ſapientes non amplius inter homines, ſed inter Deos eſſent connumerandi. Chriſtianos non terret maxima illa quæ eſt Deum inter & nos diſtantia: qui credunt Deum propter ſe hominem factum, ob id potiſſimum, ut ametur: qui nudâ ſui commemoratione in conviviis (quæ videbantur apud homines eſſe amicitiæ regnum) non contentus, cibum ſe & potum amantium exhibuit, & ſub ſpeciebus panis & vini latitans, quò ad intima penetraret, factus

Or.V. eſt ipſe amoris cùm ſui erga nos, tum noſtri erga ipſum, inſigne Sacramentum. Menſas etiam diis & hominibus communes agnoſcit

Julianus Imperator. Sed quod mireris, VIR ILLUSTRISSIME, ac ſi Dii ipſi inter ſe Philoteſias agitarent, refert Ælianus apud Troeſenios τὴν παρακειμένην τῷ Ἀπόλλωνι τράπεζαν ἀγαθοῦ δαίμονος τοῦ Οἰῶ διδόντος πρόποσιν *poſitam fuiſſe Apollini menſam argenteam, boni genii Deo propinantis.* Lib. 1. cap. 20.

Non cuilibet menſæ aſſidenti propinare licuit. Nam alterius uxori adbibere haud conceſſum, niſi peregrinis & hoſpitibus: eam ob rem ante vidimus Alcidamam puellæ nubenti propinantem riſum convivis moviſſe. Et ex altero Luciani loco in Toxari, qui cum alio affinitatem vult contrahere, ei poculum præbet: *Poſteaquam convivium peregerunt*, inquit Lucianus, *libaſſentque Diis, tùm verò plenum ei calicem porrigens Zenothemis*, δέδεξο ἔπιεν ὦ Μενέκρατες παρὰ τοῦ γαμβροῦ φιλοτησίαν, ἄξομαι γὰρ ἐγὼ τήμερον τὴν σὴν θυγατέρα. *Accipe* inquit, *Menecrates à Genero ſymbolum affinitatis poculum: nam hodie ducturus ſum ego filiam tuam.* Verùm cognatis tam viris quàm mulieribus propinare licuit, ut ex Clearcho Poetâ

Lib. apud Athenæum manifeſtum. Et
10. quia Illyrii cuilibet mulieri in conviviis adſidenti propinare ſolebant, licet cognata non eſſet, aut affinis, idcircò id eis vitio datum, ut videre eſt in Æliano, ſed ſi quis in convivio inſalutatus abi-
Lib. 3. bat, quem nec tralatitiâ propina-
c. 15. tione, ut loquitur Petronius, dignaretur amicus, is ab amici nomine excidiſſe, & contemptum ſe exiſtimabat. Ex his animadvertendum alteri poculum præbere, ex quo antea deguſtaveris, eximii amoris fuiſſe argumentum: ſive Dii cum Diis, (loquor hîc more veterum ſtultâ ſapientiâ ſpectabilium;) ſive Dii cum hominibus, ut in Ovidio; ſive homines cum Diis, ut apud Athenienſes; ſive Reges cum populis, ut apud Ætolos; ſive populi cum Regibus & Principibus, ut in ſancto Ambroſio; ſive amici cum amicis, ut vulgò apud omnes, Philoteſias uſurpaverint. Rationem hujus infra dabimus. Notandum interea idcirco cum mulieribus quæ ad ſe nihil pertinerent, Philoteſias exercere prohibitum fuiſſe apud

Sapientes, quod in hujuſmodi propinationibus genus quoddam oſculi agnoſcerent. Dicuntur enim ſibi in epulis adbibentes amici *καταπίνειν τὰ φιλήματα*, ut loquitur Ariſtenætus; *ſive ἀλλήλων προσπίνειν φιλήματα*, ut ait Achilles Tatius, id eſt, *bibere oſcula*. Nam præter oſculum quod initum eſt os ad os, fuit præterea *ἀποστολιμαῖον φίλημα* in eodem Achille Tatio, *oſculum miſſile*, datum abſentibus, aut loco remotis: unde & jactantur oſcula, quæ dari non poſſunt. Chriſtiani ad Communionem ſacram accedentes, oſculum Chriſto dare dictiſunt à Patribus: & Judæ illi comparantur, qui ſcelerum conſcii accedunt. Atqui credidere veteres oſculo amantium *τὴν τῶν ψυχῶν συνουσίαν animarum conjunctionem* fieri. Eam ob rem illis prohibitæ ſunt Philoteſiæ, quibus non licuit oſcula, & per ea animas commiſcere. Hinc illa apud Lucianum, *καὶ εἴ ποτε πιοῦσα παραδοίην τῷ Γανυμήδει τὸ ἔκπωμα ὅδε ἤτοι ἐν αὐτῷ ἐκείνῳ πίνει, καὶ λαβὼν ἐφίλει μεταξὺ καὶ πρὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς προσῆγε. καὶ αὖτις ἀφειάρα εἰς ἐμὲ, ταῦτα ἤδη συνίει*

Lib. 1. Epiſt. 25.

Lib. 2.

ἐρωτικὰ ὄντα *Etſi quando poſt-quam bibiſſem pocillatori poculum præberem, ipſe* (Amaſius ſclicet) *eodem poculo bibere affectabat & præmiſſis oculis, oculos illi applicabat, me intuens: quæ ſanè ab amore profecta, intellexi.* Hæc etiam amoris ſigna fuere in uſu apud Chriſtianos, qui Corpus Chriſti Domini manibus acceptum oculis admovebant, antequam comederent, ut teſtatur Cyrillus Hieroſolymitanus. Dixit vetus author, prologo in Cantica canticorum apud Origenem, agitata inter Sapientes convivia, fuiſſe potius verborum quàm ciborum. Affirmare poſſumus in ſympoſiis, id eſt, compotationibus amicorum plus amoris quàm liquoris infuſum, plura delibata fuiſſe oſcula, quàm vina, juxta illud Clearchi πιὼν ἔρωτα πικρὸν. *Bibens merum amorem.* Nempe qui ſic affectus eſt manducat & bibit, & quia amat, & ut amet: amori non ventri dat operam, hoc quod agit, non tam manducare & bibere, quàm amare eſt. Chriſtianos Philoteſias ſuas, & Scolia à Gentilibus accepiſſe, nemo non

dixerit, ſed Gentiles ea ab Hebræis ſumpſiſſe aſſerit Clemens Alexandrinus. Nam Hebræi bibentes vinum cantitarunt, docet Eſaias: & in Pſalmo dicitur *in me pſallebant qui bibebant vinum*. Ex quo loco conjicio, quod ſicut in compotationibus amicis proſpera omnia exoptabant, ita inimicos ſuos diris devoverunt; & malè iis dixerunt.

loco ante citato Cap. 24. 9 Pſal. 68. v. 13.

His duo ſubjungere viſum eſt, quæ ex duobus diverſis authoribus ſatis clarè elicio. Primum ſumitur ex Commentatore Latino Ariſtophanis in Veſpas, quod etiam in Athenæo legiſſe memini, niſi fallor. Pocula nempe inter amicos in conviviis agitata, ſua nomina habuiſſe, vel ab eo quod cantu celebratum, vel ab eo cujus ſanitati bibitũ fuit. Sic erat poculum Jovis vel Alexandri, poculum Phillidis vel Cloridis, & in Philoſtrato habemus poculum Tantali, de quo infrà & qui bibebat, Jovem bibere, Alexandrũ bibere, Clorim bibere, Phillida bibere dictus eſt. Quę ſanè per attributionem quamdam, ut loquuntur, aut em-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

phaſim dicta ſunt: uti apud Tertulianum adorare manus Phidiæ dicitur, qui ſtatuam à Phidiâ elaboratam adorat: dato ſcilicet rei minori majoris nomine, quando à majori, & propter illam res minor habet quod habet. At non ſic Chriſtiani Chriſti Carnem manducare, & ſanguinem bibere dicuntur: nec enim in imagine tantùm caro manducatur: cujus ratio melius poſtea videbitur. Alterum elicio ex Plutarcho, Oratione 1. de Fortuna & Virtute Alexandri, de quo ſic ait, *Statuens ſe communem nationum omnium moderatorem, atque arbitrum eſſe miſſum, quos verbis non poterat, armis,* εἰς τὸ αὐτὸ συνενέγκαντα πανταχόθεν ὥσπερ ἐν κρατῆρι φιλοτησίῳ μίξαντες βίους, καὶ τὰ ἤθη, &c. *Ad communitatem adigens omnes omninò gentes in unum collegit, tanquam in amicitiæ cratêre commiſcens, vitas, mores, nuptias, victûs rationes: mandavitque ut omnes mundum pro patria haberent, caſtra pro arce & præſidio, bonos pro cognatis, malos pro extraneis.* Sic ille. Comparatio quâ hic utitur Plutarchus multa mihi ſuggerit: népe

in Philoteſiis, qui amico bibebat, illum ſecum veluti in poculo permiſcebat, ejuſque omnia, vitam, mores, bona, mala, cum ſuis omnibus confundens, eum totum hoc pacto intra ſe infundere viſus eſt: ut deinceps illum tam ſibi intimum, & indiviſum, & unum quam ſeipſum haberet. Vulgo dicebant veteres miſcere vinum in cratêre, non infundere vinum in craterem, propter aquæ & vini permixtionem: pauci enim admodum fuere ἀχρατοπόται ut *Variorum* notat Ælianus: id eſt, pauci merum *lib.2.* rum ſine ullâ aquâ infuſâ bibe- *cap.* runt. Voluerunt itaque cum biberent amicitię firmandę causâ, ut *42.* in Phialâ omnia amicorum permixta ſimul & contemperata intelligerentur. Quamquam * Aſconius Pedianus aſſerit Diis & amicis bibentes, meracis potionibus uſos fuiſſe: quod etiam Antiphanes teſtatur apud Athenæum, Ex quibus diſcimus plenis & ingentibus poculis cum mero & generoſo vino Diis & amicis litatum fuiſſe. Quæ duo nunquam ſeparavere, ſed magnam Deos

* *Notis in Verr. Ciceron.* L.10.

inter & amicos ſimilitudinem ſtatuentes, illos tunc conjunxere. Verùm non omittendum Gregorium Nazianzenum innuere Chriſtianos frigidâ aquâ uſos, cùm invocato Chriſti nomine conviviis finem impoſuerunt. Verba ejus ſunt Oratione 3. quæ eſt 1.] contra Julianum εἶτα τοῦ πότου προελθόντος εἰς τὴν συνήθη ψυχροποσίαν ὡς οὐδενὸς ὄντος αὐτοῖς δεινοῦ τῇ ψυχροφόρῳ κύλικι Χριστὸν ἐπικαλεῖς μετὰ τῆς σφραγῖδος ἄνω, βλέψαντας, *cùm compotatio ad conſuetam frigidæ potationem proceſſiſſet, non ſecus ac ſi nihil gravius ipſis accidiſſet, ſupera quæ poculum, ſublatis in altum oculis, Chriſtum cum Crucis ſigno appellaſſe.* Quod in præallatis verbis Plutarchus tribuit Alexandro, revera convenit Chriſto. Miſſus eſt & conſtitutus ut nationum arbiter & moderator eſſet: & omnes homines in unum congregaret: & in Sanguinis ſui calice tanquam in cratére amicitiæ, omnium mores, omnium vitas, omnium ritus, & voluntates commiſcens, ac contemperans, iuſſit ut cœlum pro patriâ haberent; Eccleſias

pro arce & præſidio, Deum pro patre, bonos tanquam fratres, malos tanquam extraneos conſiderarent: corpus verò & ſanguinem ſuum tanquam unitatis, & amicitiæ vinculum, non mente ſolùm & cogitatione, ſed reipſa poſſiderent. Eccleſiam veritatis in terrâ ſedem unicam non figmentis tantùm, & inanibus umbris ſuſtentavit, & communicavit Chriſtus: Corpus & Sanguinem quæ ſemel in cruce pro omnibus dedit; in Euchariſtiâ ſingulis præbet: nihil in hac minus, quàm in illâ, doloribus exceptis, & demptâ morte: qui amat, paria in utrâque invenit: hac illi conjungitur, & Chriſtum complectitur. Huc facit quod narrat Philoſtratus in vita Apollonii de Tantalo, ἐπειδὴ φιλικώτατος ἀνθρώπων ἔδοξε *cum in ſervando amicitiæ jure ſpectabilium ſe & eximium reddidiſſet*. Indi poſt cœnam, memoriam ejus amicâ compotatione celebrarunt in poſtremis menſis, ut ſeſe ad eum imitandum provocarent. Et qui poculi Tantalici particeps ſemel factus eſſet, nihil

L. 3. cap. 10.

amico denegare, nulla pericula detractare debuit. Quam fortiores eſſe debent, & in amicitiâ ſervandâ conſtantiores, qui Corpore & Sanguine Chriſti paſcuntur; quæ mortis quidem ejus fructus, immortalitatis verò noſtræ cibus agnoſcuntur. Duo ſunt quæ hîc quæri poſſunt. Primùm cur amicitiæ fœdera cibo & potu ſanciuntur. An quia veteres vivere dixerunt hoc quod eſt manducare & bibere? Ab illis enim eſt vitæ conſervatio. Quod ex quodã Epigrammate Anthologiæ Greçcæ cognoſcimus, & Cicero ait convivia à Latinis dicta propter vitæ conjunctionem, quod convivant. Amici autem quibus vivere & amare idem eſt tam amicitiæ quàm vitæ ſuæ conſervandæ, & augendæ vacare ſe oſtendunt, cùm edentes, & bibentes amicorum recordantur. At S. Baſilius ait in pane & vino Chriſtũ Dominum ſuum Corpus & Sanguinem tradidiſſe, ut toties mortis ejus eſſemus memores, quoties nobis edendum & bibendum, ut dum vivimus, morti eius conjun-

Anthol. Lib. 1. c. 25.
De ſeneꝺ.

gamur: vivit enim Chriſtianus, morte Chriſti; vivit verò in nobis Chriſtus, morte Chriſtiani. Alterum quod hic quęritur iſtud eſt: Cur inter pocula maximè amicitiam venditarunt, idque poſt cœnam cùm benè poti erant. Quid vino & amicitiæ? Antequã quę ſit mea mens, proferam, adverto poſt vel inter pocula veteres differere ſolitos. Unde Cato major apud Ciceronem, *Me verò & magiſteria delectant à majoribus inſtituta; & is ſermo, qui more majorum adhibetur in poculo*. Poſt convivium apud Xenophontem diſſerunt cõvivæ: Idque maximè de amore. Sympoſium etiam Platonis mera Philoſophia de amore eſt: amicus & ſectator Platonis diceret, merus amor Philoſophiæ eſt. Ego exiſtimo Deipnoſophiſtas illos ſive Xenophontis, ſive Platonis, & Athenæi re vera amaſſe. Sed quia ſapiens eſt ἀφιλήδονος ut ait M. Antoninus, cùm præclaros illos viros ſapientes ſui puderet amoris conati ſunt ad animum amoris myſteria transferre, & ſapientiæ accommodare: & hanc ob rem

Videndus & Dio. Chriſoſt. orat. 17. L. 5. de ſe ipſo.

Xeno- Ganymedem cœlo donatum aſſe-
phon. runt μυστικῶς fabulã ejus interpre-
in cõ- tati, & σεμνοπαιάντις. Quid non
vivis liceat ſapientibus illis? & quàm facile eſt Doctoris nomine abuti, ad pervertendos mores, vetus hoc malum, & in perniciem generis humani natum. Chriſtiani etiam poſt convivia diſſeruere, & idcircò operam dedere, ut ſobria, & caſta eſſent, ſicut docet Tertullianus.

His præmiſſis ad quæſtionis ſolutionem venio, nempe cur inter pocula, amicitiæ ſacramenta tractarunt, cum vino convivæ proluti erant. Ratio niſi fallor iſta eſt, quia vinum fugat ſimulationem, quę amicitiæ peſtis eſt. Dicunt Hebræi, *Vinum intrat, ſecretũ exit*. Aiunt Latini, *vinum clavo caret*, Gręci inquiunt, ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώσσης τοῦ μεθύοντος, *quod in corde ſobrii, id in linguâ ebrii.* Plato ait vino, τὰ ἤθη φανερὰ γίνεται. *Animi mores fiunt manifeſti.* Hinc Senarius Gręcus κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ *Æs formæ ſpeculum, vinum mentis.* Et eadem ratio eſt propter quam nationes

nonnullæ poſt aut intra cœnam de publicis rebus conſultant, ut de Cretenſibus narrat Athenæus. Et de Germanis ait Tacitus *quod de pace & bello plerumque in conviviis agitant*. Quia nempe tunc fraus omnis abeſt, vino animum ſolvente, nec quicquam celare permittente. *Lib. 4. c. 9*

Hæc ſunt quæ de Philoteſiis veterum dicenda habui, VIR ILLVSTRISSIME quin multa me fugerint haud dubito. Euchariſtiæ myſteria ſacra poſſunt illuſtrare, ſi eo animo legantur, quo à me ſcripta ſunt. Vale.

E Monaſterio Erivallenſi 7. Februarii An. D. 1660.

EPISTOLA

AD

ILLUSTRISSIMUM

ET REVERENDISSIMUM D.

D. LUDOVICUM DE

RECHIGNEVOISIN

DE GVRON

TUTELENSEM

EPISCOPUM.

DE ORIGINE PAROCHIARUM;

Deque fundamentis Obligationis ad eas conveniendi.

ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMOQUE DOMINO D. TUTELENSI EPISCOPO.

F. J. FRONTO C.R.

QUamvis Parochiarũ tractatus ejus naturæ ſit & amplitudinis, ut non niſi integro volumine,& revolutisHiſtoriæ Eccleſiaſticæ cõmentariis, abſolvi queat, tamen quæ ſint prima Parochiarum fundamenta, & unde repetatur antiqua illa obligatio, qua tenentur Chriſtiani fideles, eundem in locum conveniendi ut orent, & ſacra faciant, hac in Epiſtola tradere,in animum induxi: quam idcirco tibi ſcribo, Præsul Illustrissime, quòd te viderim rerum harum amantiſſimum, & in eo cùm magiſterii, tùm digni-

tatis faſtigio conſtitutum, cui eiuſmodi lucubrationes ex jure ſubjici debeant. Noſti me opus grandius moliri, in quo argumentum iſtud fusè, diligenter, & accuratè cum aliis bene multis tractabitur: eam ob rem à probationibus hîc abſtinebo, quæ ipſiſmet authorum verbis & allegationibus comprehenduntur: rem uti ſe habet, & ut propriis nititur rationibus ob oculos ponere contentus. Quamquam quin ſæpius primorum ſæculorũ Patres recurrant, fieri non poteſt, cum eorum quæ hîc dicturus ſum, non modò illos fontes habeam, ſed etiam fidejuſſores ſperare auſim.

Fundamentum Parochiarum, uti nunc uſurpantur, & Conventuum Eccleſiaſticorum vetuſtiſſimum ac ſanctiſſimum iſtud eſt, quod Act. Ap. legitur c. 2. v. 41. de primis Chriſtianis. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quibus verbis triplex cõmunio, qua fideles qui toto orbe ſunt, ſecum uniri, & conjungi debent exprimitur: ſcilicet com-

munio doctrinæ, quæ prima eſt & neceſſaria, quam Tertullianus *conſanguinitatem doctrinæ* appellavit. Deinde communio orationis, quæ ut illam primam ſupponit, ſic illius veluti fructus eſt. Poſtremò, communio pacis. Nam divina Euchariſtia quæ convivia Chriſtianorum ſancta fecit, in quibus panem frangebant, Sacramentũ pacis & unitatis, eiuſque perceptio, communio pacis à Tertulliano jus pacis, ab aliis Pax ſimpliciter dicta eſt. Textus græcus Actuum paulò aliter habet, ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων, καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, καὶ ταῖς προσευχαῖς, id eſt, *erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum: & in communicatione: & in fractione panis: & in orationibus.* Ubi ſi *communicatio* ſeorſim ſumitur, & quartum communionis gradum conſtituit, ea eſt qua ſeſe fratres diligebant, ſimul ſępius erant, ut teſtatur S. Juſtinus, ſibi aderant, cum maximâ morum quantum fieri poterat conſenſione ac conformitate vivebant. Hanc optimè cum communione orationis con-

jungo, & conjuncta intelligi debet in textu vulgatæ latino. Ad communitatem enim orationum admiſſi non fuere, niſi qui moribus illis præditi erant, ut infra dicam. Et communis oratio Chriſtianorum, eorumque conventus ſolvebatur mutuâ charitatis & amicitiæ erga ſeſe teſtificatione: quæ duobus comprehenſa fuit, nempe oſculo pacis, quod propterea vocat Tertullianus *ſignaculum orationis*: & eleemoſynarum collatione, ut docent Juſtinus & Tertullianus, quas Chryſoſtomus precibus Chriſtianorum alas quibus cælum advolent, ſumminiſtrare dicit: orationum quippe peractarum cum Deo conciliatrices ſunt & πρόξενοι. Hærebo itaque triplici illi Chriſtianorum vinculo, quod ſocietatem, & cõnexionem, imò unitatem eorum conſtituit, ſcilicet communioni doctrinæ Apoſtolorum, qua qui carent hæretici dicuntur; cõmunioni orationum, quam qui abhorrent Schiſmatici ſunt; & cõmunioni Sacramenti Euchariſtici, qua peccatores privantur: qui-

bus communionibus conſervandis Parochiæ inſtitutæ ſunt.

Hoc priuſquam aggrediar præmittendum cenſeo, Eccleſiam Catholicam triplici cum reſpectu Chriſto Domino cōparari poſſe: Et ut Corpus ejus, cujus ipſe Chriſtus plenitudo eſt, ut ait Apoſtolus, cujus nos mēbra ſumus; & ut ſponſam ejus, cum qua matrimonium inivit, cujus nos filii ſumus; & ut templum in quo uno coli vult & adorari, cujus nos lapides ſumus; ſtructura verò, & colligatio lapidum, charitas. Triplex autem ille reſpectus maximam inter Chriſtianos poſtulat unitatem. Nec enim corpus ſanum eſt, niſi corporis membra inter ſe conſpirent, & conſentiant: & ſi quod membrum eſt, quod aliis non collaboret, quod toti non reſpondeat, quod quadantenus ſui juris eſſe velit; ita ut partium omnium cōmeatum, & communicationem intercipiat, vel tantillùm obſtruat, manifeſtum ægritudinis indicium eſt, idque procul dubio in detrimentum totius corporis vergit.

Sed nec matrimonium undequaque ſanctum eſt, & inviolatum, niſi ſponſa unica ſit. Eam ob rem Tertullianus Eccleſiã vocat Chriſti ſponſam Virginem & unicam. Et quidem Virgo eſt, quia numquam alium Dominum novit, & adamavit, quam Chriſtum, qui Virgines facit eos à quibus unicè diligitur. Et præterea Virgo eſt: quia filios ſuos parit manẽs integra & inviolata: concipit enim prolem, ut videmus in Juſtino martyre, cum labore, cum lacrymis, & orationibus, & jejuniis, Chriſti Domini ſui doloribus, & ſanguine fœcundata: ita ut Chriſtiani, & ex parte Patris, ac Redẽptoris, filii ſint dolorũ & mortis ejus; ex parte verò Matris, Eccleſiæ ſcilicet, filii ſint jejuniorum & orationum illius. Neque parẽtes gaudium de illis habent niſi poſtquam pepererunt, ut dicit Ambroſius, ſic autem concipere filios, ſic parere Virginum eſt. Verùm non ſolùm Eccleſia ſponſa Virgo eſt, ſed etiam Unica. Non concubinas novit Chriſtus: non amplius locus eſt liberæ. &

ancillæ : ut qui Eccleſiam diviſerũt, aut potius ab ea diviſi ſunt, fruſtra! jactitent ſe in ſua, nos in noſtra ſalvos eſſe poſſe Eccleſia. Nam Eccleſia unica eſt in toto terrarum orbe : & extra illam unitatem Eccleſia nulla eſt. Denique Templum Dei eſt, in quo ſolo vult ſibi orationum ſacrificia, & ſacrificiorum orationes, ut loquitur Tertullianus, offerri. Cuius templi niſi lapides, Chriſtiani nempe, perfectè & ad amuſſim conveniant, niſi calce id eſt charitate durati ſint, quamprimùm ſolvi ædificium neceſſe eſt. Ex quibus clarum eſt (Præsul Illustrissime) nihil magis velle Eccleſiam quam ut fideles omnes maximam inter ſe connexionem, conformitatem, unitatem habeant. Quas in triplici antè allata communione, doctrinæ ſcilicet Apoſtolicæ, orationum, & ſanctiſſimi Sacramenti conſiſtere diximus.

Et quidẽm tribus his cõmunitatibus conſervandis, favebat admodum priſca Chriſtianorũ conſuetudo : cùm unum in locum

convenirent omnes, præſide Epiſcopo, à quo uno divinum verbum audierunt, cuius ore preces ſuas fuderunt, & de cujus manu ſacram Euchariſtiam, cibum nępe & potum acceperunt. Hoc in loco, aut non procul ab eo Baptiſterium erat ad regeneratioñe Chriſtianorum; ibidem oleo ungebantur, ut Spiritum ſanctum reciperent; ibi ad Ordines ſacros promovebantur, qui digni judicati fuerant; ibi altari reconciliabantur, qui ab Eccleſia ejecti erant; ibi matrimonio copulati fuere, qui ei ſe devoverunt; ibi virgines & viduæ conſecratæ ſũt frequenti Eccleſia, & collaborante, ita ut & cum peccatoribus ploraret, & cum Sacerdotibus oraret, & cum pœnitentibus ac etiam cum illis qui ad ordines promovendi erant jejunaret, & cum reconciliatis gauderet; conjugibus acclamaret, ac matrimonia illorum votis perſequeretur: virginibus & viduis faveret, & ſpeciali honore deinceps illas revereretur: ſic fiebat omnia omnibus. Tunc Sacerdos unus omniũ

vota, omnium preces, omnium ſacrificia offerebat, circundatus Viduis & Virginibus, pulcherrimis Eccleſiæ ornamentis, terræ Angelis, cælorum civibus, & Sacerdotali ordine, ac miniſterio clericorum ſtipatus, ſine quo nihil quicquam in Eccleſia actitabat. Ibi aderant omnes & ex urbe, & ex agris. Et ſi qui vitâ Monaſticam τὸν μονήρη βίον ut loquitur Clemens Alexand. profiterentur, ἄζυγοι ut idem ait, qui ab ipſo baptiſmi tempore *carnem ſuã obſignaverunt*, ut ait Tertullianus, Eunuchi voluntarii, ſi qui illorum, qui acquiſitionibus omnibus renuntiaverant, imò ſua vendiderant. Sacerdotum manu & curâ indigentibus diſtribuenda, in quorum numero eſſe vellent, hi inquam Monachorum noſtrorum Duces & Parentes, inter Laïcos promiſcui ſacris aſtabant, cœtus Eccleſiaſtici bonus odor, vitę futuræ magnam præferentes expectationem. Sed creſcente fidelium multitudine, cœtus Eccleſiaſticos multiplicari neceſſe fuit, qui diſtinctis ædibus ſacris

celebrati fuere : quibus ſucceſſere illæ quas nunc Parochias dicimus, proque ipſo Epiſcopo ſunt, quando abeſt, rectores hi quos Parochos appellamus. Hac diviſione facta nihil antiquius habet Eccleſia, quàm ut ea nihil quicquam detrahat & communioni doctrinæ Apoſtolicæ, & communioni orationum, & communioni Sacramenti Euchariſtiæ cum quibus ipſa nata eſt, & ex quibus cœpit incrementa, quarum communionum fructus longè præſtantiſſimi diu in Eccleſia viguere *Conteſſeratio hoſpitalitatis, appellatio fraternitatis, & jus pacis*, ut ait Tertullianus. Aio itaque ſi Chriſtiani frequentes in ſuis Parochias conveniant, ut divinum verbum audiant, ut orationes ſuas fundant, ut Sacramento Euchariſtico reficiantur, hoc pacto faciliùs triplicem illam communitatem inviolatam ſervatum iri. De unoquoque trium illorum ex ordine diſſeram, & rationes dabo, quæ Chriſtianos ad id permovere poſſint.

Doctrina quam profitemur, &

qua fides Catholica nititur, ea eſt quam nobis tradidere Apoſtoli, ita ut nullo annorum decurſu: nulla ſæculorum etiam infinitorum continuata ſerie variari poſſit, quin fine æquè ac initio tēporum Apoſtolica ſit. Itidem Veritas, ut ait Tertullianus, virgo à Chriſto proceſſit, quam ſoli hæretici adulterant. Sed in Veritate flos ac virginitas longè alia eſt, ac in hominibus. Nā Veritatis virginitas ſenio convaleſcit, antiquitate ſua comprobatur, novitate in ſuſpicionem venit: à contrario hominum, qui florentem in junioribus virginitatem laudant, & pro miraculo habent virgines ſenes. Sed quæſo cujus eſt nobis Apoſtolicam tradere doctrinam, niſi ejus qui ſedem Apoſtolorum obtinet? qui illos prædeceſſores ſuos agnoſcit? quibus indubitatâ continuatione ſuccedit? Atqui is eſt Epiſcopus, qui aut ſedem Apoſtolorum occupat, aut eorum qui ab Apoſtolicis viris inſtituti ſunt. Et quibuſnam tutius Virgo (veritatem intelligo) commendabitur, quàm iis qui patrum no-

men & officiũ habent, apud quos ſolos Virginitas ſecura degit? ſi enim paſſim à multis contrectatur, in periculo verſari, fatentur omnes. Qui volunt itaque Veritatem haurire puram, & inviolatam, ſtudeant illam percipere ab iis qui pro Epiſcopo agunt, qui ejus verba renuntiant, ex ejus mente loquuntur. Licet enim quovis in loco totius Diœceſeos, nemo palam verba facere queat, niſi quæ in ore eius poſuit Epiſcopus: tamẽ quæ populis mandãda habet, ea potiſſimùm in Eccleſiis, quas Parochias dicimus annuntiari jubet: alibi quippe non niſi cœtibus privatis, iiſque ſæpe religioſis verba fiunt, quæ illorum inſtituto accommodata, haud populum ſpectant. Et certe quotidie experimur, cum in Oratoriis illis auditores adſunt vitę prorſus diſcrepantis ab loci incolis, fit ut qui ex ſuggeſtu dicit, nec his, nec illis congrua loquatur, dum utriſque placere aut prodeſſe vult. At in Parochiis præter alia omnibus communia, diſcere debes quinam ex fratri-

bus tuis indigeant, ut illis ſuccurras; quinam infirmi ſint, ut illos inviſas; quinam in gravibus peccatis conſeneſcant, ut pro iis depreceris: quæ ſint conjugum ad ſeſe officia; parentum ad filios munia, filiorum ad parentes obſequia; quænam in commutationibus, & commerciis æquitas, & juſtitia ſervanda, quæ ſi coram religioſis familiis tractantur, nocebunt magis quàm proſint. Si quędam Rex profert edicta toti regno cōducibilia, habet certa loca ubi illa promulganda ſūt, & ubi cuique diſcendum, quid Rex edicat. Si ſic in Diœceſi ſua habet Epiſcopus loca in quibus populū alloquatur ore præconum ſuorum, & hæc ſunt Parochiæ: quæ licet eadem in urbe, aut in unâ Diœceſi diſtinctæ ſint, tamen unaquæque illarum Eccleſiam totam Diœcêſis nobis repreſentat, ita ut omnes non ſint niſi una Epiſcopi Eccleſia, quia in earum ſingulis & omnibus una cōſecratur Euchariſtia, unum offertur ſacrificium, unus eſt Sacerdos communis, unus Spiritus.

Ita etiam Evangeliſtę omnes, Parochos intelligo, unus ſunt Evangeliſta, quippe ab uno miſſi, eodem Spiritu pleni, eadem authoritate roborati. Eſtote inquit Ignatius martyr, omnes Epiſcopi, Epiſcopus autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Et quemadmodũ fruſtra quis ad Deum ſe recipere vellet, niſi per Chriſtum; ſic fruſtra quivis Chriſtianus ad Chriſtum, niſi per Epiſcopum contendat. Hic ſolus, & qui ab eo miſſi ſunt, verba ab eo vitæ æternæ habet. Aiunt aliqui, ſi ipſe Epiſcopus errat, ſi veritatis ab Apoſtolis & à Chriſto traditæ adulter eſt ipſe & ſeplaſiarius, quid facto opus? Sed verò habent & ipſi Epiſcopi viros ſupra ſe, apud quos conveniri poſſunt: habent potiſſimùm concilia in quibus accuſari debent. At quandiu ſua in ſede ac dignitate cum incorrupta fide perſeverant, audiendi ſunt; parũ eſt, ſoli audiendi ſunt tota in Diœcêſi: loquuntur autem non uno quidem ore, uno tamen ſpiritu, uno corde, una mente, ad populum ſuum in Parochiis

vel illis in locis ad quæ cœtus Eccleſiaſticos indixere. Addamus his, illic eſſe quoque *Apparitionem devotam*, ut loquitur Tertullianus, quæ tutandæ etiam Veritatis ſanctitati ſapienter admodum ab Eccleſia inſtituta eſt. Ea porrò in hoc conſiſtit quod Epiſcopo, vel alteri pro eo ſacra facienti, & pro concione dicenti, apparitorum vice funguntur Presbyteri, Diaconi, & alii Miniſtri. Qui uti Evangeliſtæ verba facienti adſtant ad reverentiam ei conciliandam, & propter majeſtatem divini Verbi, ita etiam teſtes ſunt eorum quæ dicuntur, & virginitatis ac integritatis Catholicæ Veritatis apud populum aſſertores. Denique oratoria, vel loca illa ſancta, ad quæ Chriſtiani multi digrediuntur, Verbi divini audiendi causâ, ſunt potius Eccleſiæ membra, quàm Eccleſiam totam repræſentent. Alterius autem naturæ eſt, quod uni membro, quàm quod corpori univerſo competit. Membro remedia pro illius temperamento applicantur. Corpori verò inferũ-

tur ea quæ omnibus membris prodeſſe poſſint. Haud ſecus habendi ſunt cœtus relligioſi qui illa loca ſancta inhabitant, quam veluti familiæ privatæ: quas initio Eccleſiæ, tam relligiosè vixiſſe, & iiſdem ferè cum ritibus, qui poſtea in familiis relligioſis perſeveraverunt, ego Deo dante in majori opere demonſtrabo: dépto quod altare non habuerunt: ſed & hoc non niſi ſerò monachis conceſſum fuit. Licet itaque in familiis privatis, & cantûs, & hymni, & exhortationes fierent & preces, ut ex Apoſtolorum Tertulliano, & Clemente Alex. manifeſtum, haud tamen officio ſuo ſatis Catholicus feciſſet, qui in domo vicini exhortationum & precum utcunque particeps factus, à communi Eccleſiæ cœtu ſe ſubtraxiſſet. Hæc de Apoſtolica doctrina. Non minoris erunt ponderis, quæ de communi oratione dicturi ſumus.

Tanti facta eſt à veteribus & primis Chriſtianorum Patribus Oratio, ut ad eam omnia ferè Chriſtianæ profeſſionis munia

referrentur: quò enim valida & efficax eſſet, jejuniis armata fuit: quò Deo fieret accepta, ſanctitate cùm animi tum corporis præmunita eſt: ut autem divinam liberalitatem attraheret, eleemoſynis illam provocabat. Quin ipſa Virginitas, Eccleſiæ flos, Chriſtiani nominis decus, maximũ corporum noſtrorum ornamentum, vel propter orationem faciẽdam culta fuit, ut ſcilicet Chriſtianus totus oraret, nulla ſui parte diſtractus, ſicut teſtatur Apoſtolus. Sed & ſacrificia, & ſacramenta ſæpe orationum nomine appellata fuerunt, quia nimirum verba quibus confecta ſunt, precibus antè & poſt prolatis ſuêre inſerta: ut ferè Eccleſia ad hoc unum à Chriſto videatur inſtituta, ut oret; & unicum eius opus ſit, orare. Quapropter Clemens Alex. dixit vitam Chriſtiani jugem & indeſinentem eſſe orationem, & ex ſancto Auguſtino, neſcit vivere qui neſcit orare. Sed ſi magni æſtimanda eſt oratio quæ fit à Chriſtiano, inquit Ignatius martyr, quanto pluris facienda illa,

quæ ab Eccleſia tota procedit. Ea autem eſt quæ fit in loco cõmuni, ſpiritu communi, à cœtu communi, voto communi, præeunte præſide cõmuni. Hac procul dubio oratione nihil validius, nihil efficacius ad impetrandum, ad vim cœlo faciendum, ad Deũ placandum. Jam verò dixi in Parochia totam repræſentari Eccleſiam: & Epiſcopum qui quinquaginta ſuâ in Diœcẽſi numerat Eccleſias, & in unaquaque illarum totam, & in omnibus unam agnoſcit, & paſcit Eccleſiam? illic ergo orandum ſi validas & utiles preces fundere volumus. Sed minimè mirabitur haud irritas unquam fuiſſe Eccleſiæ preces qui animum adverterit ad has cõmunes orationes admiſſos non fuiſſe ſceleroſos ullos, qui peccatis ſuis caſſas eas reddere potuiſſent. Edicebant nimirum Eccleſiæ prælati Chriſtianis, ne quis cum immunda conſcientia ad orationem accederet, ut videre eſt in Epiſtola S. Barnabæ, ne ſibi, & aliis nocumento eſſet, & benedictionum loco maledicta,

& fulmina in caput ſuum & aliorum arceſſeret, ſicut docent ſancti Irenæus, & Clemens Alex. Qui verò deprehendebantur criminoſi, hi publicâ authoritate ab Eccleſia, id eſt ab oratione communi ejiciebantur : ne licebat fidelibus cum ejectis illis & excluſis ab Eccleſia, edere, converſari, communia vitæ opera agitare, nedum orare, quô uſque pœnitentiâ ſatisfeciſſent, & ſaltem cõmunioni orationis fuiſſent reſtituti : ut ex primoribus Conciliis diſcimus, & ex canonibus Apoſtolorum. Quî fit ergò ut quod olim ſceleroſis & peccatoribus loco pœnæ fuit, nunc propriâ ſponte Chriſtiani uſurpent, dum ſeipſos ab oratione communi excludunt? quod olim ſupplicium fuit, quod damnatio, nunc ut privilegium, ut gratia quædam & favor habeatur? Quod erat ignominiæ, quod probro, quod dedecori, extra nempe conſortiũ & ſocietatem fratrum ſuorum orare, nunc gloriæ & honori vertatur? Denique ut quod olim peccati ac ſceleris alicujus perpe-

trati ſignum fuit evidens, nunc virtutis cuiuſdam ſpecialis, (ſi ſuperis placet) nota ſit? Prima tunc temporis Chriſtianorum conſociatio fuit per communem orationem: cum eo non licuit edere, ludere, ambulare, qui ad orationem communem non eſſet admiſſus. Quod ſi alicunde peregrinus frater adventaret, poſt ſidei ſuæ teſtimonia expoſita, antequam ad alia benevolentiæ argumenta feſtinarent, primùm oratione inter ſe confæderabantur, ut cum antiquo authore loquar, à quo id didici. O ſanctos mores! ô temporum noſtrorum confuſionem, & manifeſtam inclinationis eorum convictionem ſi intra hebdomadam nunc Chriſtiano non liceret cum eo convivia celebrare, commercia frequentare, & vitæ opera communicare, cum quo die Dominica antecedente non oraſſet, quam multos à ſocietate communi extorres, & excluſos videremus! Et tamen prima conſociatio fideliũ ea eſt, qua cum Deo ſimul conjunguntur, communi ſcilicet ora-

tione: poſtquam fas cum illis agere, & quælibet tractare; ante verò quam, non eos admiſerunt primi Chriſtiani: niſi fortè noſtrates convivia, & negotia ſua peragunt ritu pagano, more gẽtili, Chriſtianum exuentes, ne de tanto nomine erubeſcant. Cur maximum fidei noſtræ communis argumentum deſerimus, quod eſt Oratio communis? Cur certiſſimum ſpei noſtræ cõmunis fundamentum abdicamus, quod eſt Oratio communis. Cur charitatis, quæ Tertulliano magnus Chriſtiani nominis theſaurus eſt, ſymbolum, & publicam demonſtrationem relinquimus, quæ eſt Oratio communis? Qui ſimul æternum vivere optamus, cur ſimul orare, ſine quo non eſt ęternum vivere refugimus? Aut ſi communia vota noſtra ſunt, ſi neceſſitates communes, ſi malæ premunt communia, cur non unâ omnes ea deprecamur? Spiritus ſanctus per quem & ad quem preces fundimus, licet ubique ſit, & munera ſua ubique impertiatur, tamen videtur in Parochiis

noſtris & uberior adeſſe, & præſentior, & pluribus, ut ita loquar Sacramentis aſtrictior. Illic aquis incubat ad mundi novi, Chriſtiani ſcilicet productionē; illic oleum ſanctum eſt, quo in recens ablutos deſcendit. Illic ordo ſanctus ſacerdotio ſuo eius virtute fungitur; illic ſuper pœnitentes invocatur, & in Sacramentorum perpetua ferè adminiſtratione communicatur. Cur non ultrò ad locum properamus qui Spiritu ſancto plenus eſt, ubi ſæpius eius invocatio reſonat, ubi dona illius crebreſcunt? Denique illic ſecundùm Chriſtum nati ſumus. Nam hęc aut illa Parochia, uti jam ſæpius dixi, una Eccclesia eſt. Illic ergo nati ſumus; illic educati & elementis Chriſtianæ Religionis imbuti fuimus, illic peccatores reconciliamur. Cur Matris noſtræ ſinum, cur nutricis amplexus abhorremus: illic ſunt verba quæ ſuximus, cur iiſdem iterum os admovere formidamus? Qui nobis adfuit Deus, ut nos prima luce donaret, quando renati ſumus; quique adeſt ut nos-

in gratiam recipiat, quando à peccatis converſi ad eum redimus, aderit & cum ei preces hoc in loco offerimus. Oratoria illa ad quæ nos recipimus, ſuffurantes nos cœtibus Eccleſiaſticis & communibus, atque ab oculis Matris noſtræ nos ſubducentes, ſancta quidem ſunt, & Spiritus ſancti præſentiâ exornata. Sed divinus ille Spiritus qui ſua in natura ſimpliciſſimus eſt, in donis ſuis & in diſtributione illorum admodum multiformis agnoſcitur. Habetque loca variis ſuis largitionibus deſtinata. Et in Oratoriis, inquam, ac monaſteriis eſt, ſcilicet virginitatem inſpirâs, fratres in unum congregans, jejunia & ſolitudinem ſuadens, mundi fugam, dignitatum abdicationē, temporalium bonorum contemptum, aliaque hujuſmodi animis ibi degentium imprimens. Hæc quid ad te, qui fortè conjugio alligatus es, mundo implicatus, dignitatibus inhians, divitiarum & prædiorum poſſeſſor? Aliæ ſunt gratiæ quibus indiges, & quas in Parochiis Spiritus ſan-

ctus potiſſimum effundit. Quodſi ubique potens eſt, & dives; ergo & in foro, & in triviis, & in plateis orationes tuas effundas. Licet toto in regno æquali Rex polleat poteſtate; alia tamen aliis in locis magiſtratuum ſuorum miniſterio agit, nec eadem ubique munera largitur. Neque ſol ſemper unus ac idem, diverſas terræ partes iiſdem virtutum ac impreſſionum diluviis afficit. Sic nullibi locorum non operatur Spiritus ſanctus: ſed illic totâ ſuâ liberalitate agit, ubi totam repreſentari videt Eccleſiam, cui ſe ſine modo & menſurâ, non ad numerum & ad lancem impertitur. Eò ergo confluant frequentes Chriſtiani, & quam ſecum collaborantē dum infirmi ſunt, ſibi ſubvenientem dum pauperes ſunt, ſeſe colligentem cum hoſpites adveniunt, pro ſe gementem, & precantem cum in peccatis verſantur, ſentiunt & experiuntur, eandem ſecum orantem habere velint, de profectibus ſuis lætam, & de victoriis triumphantem. Nullibi ferventiores, ſanctiores,

& Deo acceptiores fundere poſſint preces, quam in cœtibus Eccleſiaſticis, ubi ex Tertulliano prodit oratio *de conſcientia pura, de carne pudica,* de charitate non ficta; ubi omnes quaſi unus, uno præſidis ore unum Deum orant: ſic ſanè nos in communione orationis perſeverantes eſſe oſtendimus.

Supereſt communio ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, quam communionem pacis dictam aſſeruimus: ut vel ex pacis nomine unitatem maximam nobis commendari intelligamus. Totum quantum eſt divinum iſtud Sacramentum impenditur & conſumitur, ut Chriſtianos toto orbe diſperſos in unũ colligat, & devinciat: facit enim illos & inter ſe, & cum Chriſto conſanguineos & concorporeos, ut ait S. Chryſoſtomus, dum corpore & ſanguine Chriſti illos reficit. Et ubinam porrò panis ille ſanctus ſumendus eſt, quam illic, ubi pro cunctis conſecratur, pro omnibus offertur, ad neceſſarios ſingulorum uſus reſervatur, nempe in cõmuni Parochia a-

De cujus manu panem filii accipient, quam de manu Patris ſui. Et hic eſt Epiſcopus, & Parochus, qui hac in re, non unum tantum, ſed unus ſunt. Cujus in ædibus, & de cuius menſâ cibum hunc divinum aſſument, niſi in ædibus Matris ſuæ, & de menſâ quæ ab illa poſita eſt, ut filios ſuos paſceret, & de Deo ipſo ſaginaret? At qui numquam magis Chriſtianus filium ſe Eccleſiæ profitetur, quam dum corpus Chriſti manducat, & ſanguinem eius bibit. Ergo in Eccleſiæ domo, & ut ita loquar in eius prytaneo, corpus illud comedere, & ſanguinem bibere debet. Nullibi enim in Diœceſi tota Eccleſia repreſentatur; nullibi illa ſe tamquam Matrem omnium gerit, quam iis in locis ubi cœtus fiunt Eccleſiaſtici, & oblatio ac Euchariſtia communis. Hic afferre non pigebit, quod fortè multos latet, & rem noſtram juvat. Certum comperi, eritque probatu facillimum, ſi quis negabit, panē Euchariſticum ore Epiſcopi benedictum fuiſſe, antequam in di-

ſtinctis Parochiis à Presbyteris offerretur. Nec hoſtia altari imponebatur, aut in Euchariſtiam accipiebatur, niſi de manu Epiſcopi profecta, & facta jam eius precibus ſancta. Miſſo pane hoc ſancto, cum abſentibus jus pacis communicaverunt, ut loquitur Tertullianus, & ſe in communione doctrinæ Apoſtolorum eſſe teſtati ſunt, ut ait S. Irenæus: Se ſimul poſſe orare, hac eulogia data vel miſſa, ſignificavêre.

Quia verò hac in Epiſtola (PRÆSVL ILLVSTRISSIME) Chriſtianis id quod melius eſt, & majoris perfectionis ſuadere conor hanc finio ratione tribus ante dictis communi: quę ab exemplo petitur, quo tenentur fideles alter alteri ad virtutem & vitæ ſanctitatem præire, & facem præferre. Vnde Apoſtolus vult Chriſtianos ſe invicem exhortari, quod certe fit exẽplis potius quã verbis. Hac quippe ratione nullus eſt, qui non poſſit alteri prodeſſe, & ſæpe pauper diviti, rudis & tyro docto & illuſtri, puer viro, minor majori, ſubditus Præ-

lato, pro magno Evangeliſta eſt; ſæpe pro Epiſcopo & Patriarcha: Unde in martyrii SS. Vitalis & Agricolæ hiſtoria, quia Vitalis qui ſervus erat, præceſſit, Agricola verò Dominus eius ſecutus eſt, dicitur, *Paſſio ſervi, diſciplina eſt Domini: Hic inſtituit, ille implevit.* Quiſquis enim alteri ad virtutem viam ſternit, hic eius Dux eſt, & Epiſcopi partes agit. Eam ob rem dixit populo ſuo Chryſoſtomus, ſe nolle ſolum in urbe illa maxima Epiſcopum agere. Velle ſe illos habere ſocios, & Epiſcopatus ſui participes: quod fit, inquit, ſi vos ipſos optimis exemplis ad virtutem adhortamini: ſi mecum collaboratis, & quiſque veſtrûm fratribus imitandum ſe præbeat. Nihil in quacumque congregatione, & ſocietate perniciofius quàm ſi aliquis ſpreto ritu communi, & ſolemni, ſingularem degendi rationem inire velit. Si Eccleſia acies eſt caſtrorum bene ordinata: cujus nos Chriſtiani milites ſumus, nemini extra lineas evagari licet, ſimul eſſe, ſimul progredi, ſimul ſtare,

ſimul pugnare debemus, in oculis ducis, mandatis eius attenti, nec ſeparatas adire cohortes, aut in diſtinctos coire cuneos, fas eſt. Sic nos cœlo deſtinatos, dæmonibus invictos, fratribus noſtris imitatione dignos exhibemus. Vides, PRÆSVL ILLVSTRISSIME; me hac in Epiſtola Chriſtianis viam oſtendere planam, cõmunem, à patribus noſtris tritam, in qua nihil periculi eſſe poſſit, filios ad Matrem ſuam revoco; propriis reſtituo parentibus: natales domos eis oſtendo: menſæ familiari illos aſtringo; denique id efficere apud eos contendo, ut illic, & cum iis vivant, ubi, & cum quibus illis moriendum eſt. Vale.

E monaſterio Erivallenſi 8. Februarii 1660.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA

AD

ILLUSTRISSIMUM

ET RELIGIOSISSIMUM D.

D. FRANCISCUM

DE HARLAY

ARCHIEPISCOPUM

ROTHOMAGENSEM

NEUTRIÆ PRIMATEM.

In quâ tractatur quomodo ſe habeant Scriptura & Eccleſia ad mutuam ſui probationem.

ILLUSTRISSIMO AC RELIGIOSISSIMO DOMINO D.

FRANC. DE HARLAY ROTHOMAGENSI ARCHIEPISCOPO, &c.

F. I. FRONTO C. R.

NUper cùm differeremus ambo de rebus Theologicis, deque regulâ fidei ſermo eſſet, quia in eâ definiendâ traditionem Eccleſiæ inſerui, poſt S. nempe Auguſtinum dicentem, *Ego Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas*, adversùs hanc definitionem, quam ad mentem Catholicorum eſſe agnoſcebas, eorum, qui traditiones noſtras irrident, argumentum propoſuiſti, quod ſic habet: quî fieri poteſt, ut Eccleſia mihi tradat Scripturam, eiuſ-

L. contra Epiſt. Manichæi qua dicitur fũdamenti C. 5.

que naturam, & conditiones demonſtret. In hoc, inquiunt, argumenti genere vitium eſt, quod circulum vocant. Nihil quicquam vim, atque robur ab eo habere poteſt, cui cõfert quicquid in eo roboris, & firmitudinis eſt. Quis eum ferat qui Solem ab ipſo die illuſtrari affirmaret, à quo tamen diem clarum eſſe, & ſuam lucem mutuari confiteretur? An effectus in principium refluere poſſit, & refundi, ut illud à ſe viciſſim pendere cogat? Eccleſia, inquis, tradit nobis Scripturam, eiuſque ſenſum aperit. Hinc dogmata Catholica Eccleſiæ accepta referre debemus. Sed unde habes certam eſſe, & minimè fallentem Eccleſiam niſi à Scripturâ, eiuſque apertâ hac de de re ſententiâ? Profectò niſi vitioſa ſit iſta argumentatio, nihil in Logicâ vitium dici debet. Hoc inquis, illi objiciunt. Eâ verò eruditione polles in rebus Theologicis, quippe in iis quondam Magiſter, & laureâ donatus, nunc verò Magiſtrorum Doctor & Princeps, ut tutè quid reponendum ſit

apprimè noveris. Id tamen non impediet, quominus quod tunc huic argumento reſpondi, nunc pluribus evolvam.

Aio itaque Eccleſiam cui nomen dedimus, & cujus vos quotquot ſupremis Infulis gaudetis, & filii, & mariti, & patres eſtis, quam collecti totam repreſentatis, quæ ore veſtro ſua dogmata profert, ſuaſque nobis innuit voluntates, unam eſſe, imò unicã, ut loquitur Tertullianus, & Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam atque Romanam. Quarum appellationum illa, quâ dicitur Apoſtolica, dùo complêctitur; nẽpe & quod doctrinam Apoſtolicam teneat, & quod ab Apoſtolis profecta ſit. Hoc ſecundum demonſtramus per ſucceſſionem indubitatam Epiſcoporum Eccleſiæ ab Apoſtolis: neque negât adverſarii noſtri heterodoxi. Et per iſtud ſecundum primum probamus, quia ex S. Irenæo, & Tertulliano, qui ſedem Apoſtolorum occupant, & illis ſucceſſere, id præjudicio magno eſt, eorum quoque hos habere doc-

trinam. Quod cum negent adverſarii, meritò petimus ab illis quandonam ab Apoſtolorũ doctrinâ deſcivere ii, quos eis ſucceſſiſſe fatentur? Quis aliis exemplo fuit hujus defectionis, è tot & tantis Epiſcopis, qui toto terrarum orbe vixere? nemone reclamavit? nemone labaſcẽti fidei ſuppetias tulit, & tantæ ruinæ obviam ivit? ſcilicet ſi credimus illis, evanuit Eccleſia per multos annos, quam veluti poſtliminii jure, ab oblivione, à tenebris, imò è nihilo reduxerunt, vel ab hoſtibus vindicarunt. Sed hoc aliàs. Certè qui foris ſunt, ut loquitur Optatus. qui ex ſeipſis nati, & filii ſine patre, diſcipuli ſine magiſtro, ſucceſſores ſine anteceſſore poſt mille à Chriſto & quingentos annos prodierunt, quâ ratione doctrinam ſuã probare queant, dictu facile non eſt: ſaltem miraculis, ut ait Pacianus, ſe miſſos à Deo evincant; ſed ea nulla ſunt, nec eſſe poſſunt. Duorum illorum quæ complectitur Apoſtolicæ appellatio, primum quod minimè in dubium revoca-

tur, mihi ſufficit ad argumenti ſolutionem. Et aſſero quod Eccleſia, quâ Apoſtolica eſt, vel propter hoc quod Apoſtolis ſucceſſit, nobis tradente Scripturas, dubitandi locus non eſt, has potius, quam alias eſſe, quæ fidei regulam continent. Cum enim conſtet ex Hiſtoriâ certâ & evidente eos ſucceſſiſſe Apoſtolis, neque negent adverſarii, & per ſæcula varia quæ fluxerunt, conſtet has ſe non alias ab illis habuiſſe Scripturas, nullo præter ſe fidejuſſore indiget, ut de iis certiores nos faciat: neque de traditione ejus circa hoc ancipites fluctuare debemus: cum, ut dixi, ſingulis ſæculis varia de his teſtimonia proferat, quod traditionem reddit, ut aiunt Barbari, authenticam, id eſt, apud quoſvis prudentes, fide dignam.

Hæc autem adeò vera ſunt, ut ipſimet adverſarii noſtri heterodoxi, non aliunde Scripturas, quibus hodie Eccleſiam Romanam tanto cum furore oppugnant, quam ab illâ acceperint. Unde enim eos habere poſſent, cum

mille & quingentis poſt Apoſtolos annis nati ſint? quo toto tempore inane fuiſſe Evangelium, & fidem fuiſſe otioſam, ut loquitur Gregorius Nazianzenus, neceſſe eſt. Quo toto tempore *perperam Evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta*, ut ait Tertullianus, & Calvinum *liberanda veritas expectabat.* Saltem Eccleſia Romana, contra quam furunt, hoc certo aſſerere queat, ſe de manu Apoſtolorum eas accipere potuiſſe, quos nempe per ſucceſſionem attingit. Si omnes Scripturas quas hæretici tanto cũ ſtrepitu contra nos jactitant, ipſis negavero, quomodò probabunt ſe illas ab Apoſtolis traditas poſſidere? per quoſnam ab Apoſtolis ad ipſos devenere, niſi per eos qui Eccleſiam Romanam tanquam veram & unicam Eccleſiam agnoſcebant? Nam Patres eorum, & magiſtri in eâ fuere ſententiâ. Ergo etiam heterodoxi Scripturas accepere ab Eccleſiâ quatenus Apoſtolicâ: nec aliâ authoritate nituntur, dum tantâ cum audaciâ eas velut uni-

çam fidei regulam venditant: quæ unica illorum fidei regula traditione ad eos venit, & traditione probatur. Quas autem propugnamus contra illos traditiones, maximè circa regulam fidei, dixi variis quæ ab Apoſtolis fluxere ſæculis ſuas habere probationes. Saltus enim illos, quos hæretici admittunt: ſivè hiatus in fide neſcimus: perpetua illa eſt, & ſecum colligata. Nec per arcanos meatus, conſpectum hominum fugientes derivatam ad nos aſſerimus: ſed in medio poſitam, & patentem, ut niſi homines in errore ſint, & extra iter poſiti, illã videre facile ſit, ſaltem ducibus aliorum & doctoribus. Sed adverſarii traditiones omnes negãtes, è tot ſæculis quæ à Chriſtianæ fidei exortu præteriere, quodnam eligunt, in quo Eccleſiæ ſuæ novæ faciem eandem, eaſdemque obſervationes, nobis repræſentare queant? Quoſnam Patres deſignant, quorum mores, ſenſa, uſus amplecti ſe profitentur? Quæro illos toto illo tempore quod Chriſtum Dominum inter

& Calvinum interceſſit, nec uſquam invenio. A primo enim ſæculo ad ultimum, quo ex ſeipſis, ut dixi, nati ſunt, varia Patrum monumenta percurrenti, occurrunt benè multa ſanctè & religiosè obſervata, quæ ipſi ſine fronte exſpuerũt. Ne Apoſtolorũ quidem tempore ſuam floruiſſe Eccleſiam dicere audeant. Nam illo tempore fuere proculdubiò Epiſcopi, Præsbyteri, Diaconi, qui in Calvini hæreſi omniũ audaciſſimâ, nulli ſunt. Sic autem Magiſtratus tollère, quid eſt, niſi Reipublicæ corpus evertere, & novam fabricare Eccleſiam, ſine ordine, ſine gravitate, ſine decore, ut loquitur Tertullianus. Scio Jacobum Uſſerium Armacanum, Virum cæteroqui doctiſſimum, & de Eccleſiâ extra quam degit, benemeritum, ut novitati ſuis objectæ occurrat, librum edidiſſe de ſucceſſione Eccleſiarum: in quo nititur oſtendere ea, quæ recentiores Hæretici dogmata cuderunt, ab aliis fuiſſe propoſita, ſed ſemper ab Eccleſiâ Romanâ rejecta. Verùm dùm Vir ille gravis,

fidei communionem quærit cum Huſſitis, Valdenſibus, Albigenſibus, Berengarianis (qui tamen aut nulli, aut pauci admodum fuêre) & aliis, duo ſunt ſcopuli in quos imprudens incurrit. Primò hiatûs in fide Catholicâ, de quibus ante dixi, non vitat. Nec enim ſibi ſucceſſere præclari illi Doctores, ſed cum aliquanto annorum intervallo alii poſt alios vixere. Deinde nec Calviniani, nec illi è quorum numero eſt Uſſerius, cum antedictis in capitibus præcipuis conſentiunt: atqui fides una eſt. Quod ſæpè adverſariis noſtris, novas ſubinde ſuis in ſynodis Communiones affectantibus, inculcandum. Sed redeo ad argumentum noſtrum.

Aio præterea, quâ authoritate, & certitudine Eccleſia, ut Apoſtolica potuit nobis & adverſariis etiam Scripturas tradere, potuit & certas quoque rationes nos docere tractandi Scripturas, ut verum ſenſum eliciamus, & dubia quædam quæ circa illas oriri poſſent, dirimamus, quas ſi per ſæcu a obtinuiſſe, & Patrum

qui diverſis floruere temporibus teſtimonio corroborari, oſtēdit, nihil eſt quod eas recuſemus. Exemplo ſit, hoc ipſum quod inter nos agitatum eſt, cum mihi prædictum argumentum oppoſuiſti. Dicebam Biblia Hebraïca, Græca, & Latina inter ſe collata, adhibitâ Eccleſię traditione, eſſe regulam Fidei. Poteram omittere Biblia Hebraïca. Nam certum eſt Apoſtolos Eccleſiæ tradidiſſe tā-tùm Gręca & Latina, cùm Lingua Hebraïca pluſquam quadringētos ante Chriſtum annos mortua, ut loquuntur, nullibi Gentiū in uſu eſſet, & perpauci eam intelligerent: cùm ne Judæi quidem Bibliis Hebraïcis uterentur, ut ex Juſtini dialogo cum Triphone manifeſtum. Denique quia Apoſtoli, & primi Eccleſiæ Patres qui proximè eos attigerunt Græcis quidem & Latinis, minimè uſpiam Hebraïcis uſi ſunt: tamen ne Catholicos quoſdam offenderem, aut etiam heterodoxos, qui de hujus linguæ peritiâ mirum in modum triumphant, addidi Hebraïca: quia certum ea

aut eos, qui Hebraïcam Linguã callerent conſuluiſſe Origenem, Epiphanium, Chryſoſtomum, Hieronymum, & alios: quam doctè, quam eruditè, viderint alii. Sed ex his conſtat, utcumque in uſu fuiſſe. Nec ego impedio quin adhibeantur. Sed iſtud etiam atque etiam cõſiderent eruditi, qui de linguæ Hebraïcæ peritiâ tantoperè gloriantur, & ex eâ ſimplicioribus fucum fâciunt, quique Biblia Hebraïca ſola regulã fidei eſſe ſciſcunt, nunquid ridiculum ſit, Biblia Hebraïca regulam fidei aſtruere, de quorum lectione nondum convenit inter doctos, non inter noſtrates tantùm & adverſarios, ſed ne inter adverſarios ipſos quidem: cùm de punctis vocalibus, quę una nobis ſuperſunt legendi inſtrumenta, acritèr diſputent: iis autem remotis, ut revera antiqua non ſunt, certi eſſe non poſſumus de lectione antiquâ Hebræi textus; & Grammaticæ ad Hebraïcam Linguam diſcendam regulæ, ſunt immutandæ, ſolique Septuaginta Interpretes facem ad textum

Hebræum evolvendum deinceps præbere poſſunt. Quod autem aliqui ex adverſariis ad alias Interpretationes Scripturæ ſacræ aliquando provocant, mera vanitas eſt. Nam omnibus antiquiores, & multò diligentiores ſunt Græca & Latina : aliæ nullius momenti ſunt, ut ſenſum Scripturæ deprehendamus. Nullius, inquam, momenti ſunt, & illudunt peſſimè rudioribus & tyronibus qui eas commendant. Nam Caldaïcę Paraphraſes, quas præ aliis extollunt, nec antiquę ſunt, ſicut multi hactenus credidere : nec textui Hebræo adhęrent, ſed divagantur liberiùs, maximè in difficilioribus locis: nec inter ſe cōſentiunt : quod non mirum fortè in illis quæ diverſos authores habent, ſed mirum ſanè & prodigioſum in iis quæ cum unum authoris nomen præferant, ad diverſas tamen editiones, non dictionibus ſolùm, ſed ſententiis totis diſcrepant : quod niſi expertus eſſem, hic non aſſererem. Quod ad Syriacam ſacræ Scripturæ interpretationem attinet, quam ut

antiquam valdè laudat Joannes Henricus Hottingerus Tigurinus, ea textum Hebræum purum non reddit: nam proculdubio textum Hebræum, & textum Græcum conſuluit: quod ego luce clarâ clarius demonſtrabo, ſi opus eſt: loca etiam difficiliora præterit, & intacta relinquit, toto cœlo diſtat ab iis verſionibus quas heterodoxi inſtauravere: denique parum juvat. Reſtat Arabica, quę non ex Hebræo, ſed potiſſimum ex Græco tranſlata eſt. Multæ autem ſunt cùm novi Teſtamenti, tum Pſalmorũ Arabicæ interpretationes, inter ſe diverſæ. Quarum aliæ Græcam κτ̀ πόδα ſequuntur: aliæ Syriacam interpretationem conſuluere, ut videre in Pſalterio Arabico-Syriaco. Itaque, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, meritò cùm Regulam fidei definio, ſola Biblia Hebraica, Græca, & Latina comprehendo. Subjunxi præterea, adhibitâ Eccleſiæ traditione. Quod duobus exemplis demonſtro, altero ex vetere, altero ex novo Teſtamento petitis. Quam multa ſunt in vetere Teſ-

tamento quę Chriſtum Dominũ adumbrant, de quibus ne cogitaremusquidem, maximè ſi ſola tractaremus Hebraïca, quæ tamen Chriſtum reſpicere, & Apoſtoli, & qui proximè ſecuti ſunt Patres, aſſerunt: ex quo ſenſum illorum verborum aliò torquere non licet, præeunte nobis traditione. Petrus Cuneus in ſuâ Hebræorum Republicâ quam eruditè admodũ & eleganter ſcripſit, ait ſolâ traditione illorum ſacræ Scripturæ locorum ſenſum qui de Chriſto eſt, conſervatum fuiſſe: & ipſe tamen ex heterodoxis eſt. In novo autem Teſtamento, verba quibus inſtituitur Euchariſtia, non eſſe allegoricè ſumenda, ut volũt heterodoxi, perpetuâ & indubitatâ traditione oſtendimus. Sed & adverſarii cogũtur fateri pluſquam allegoriam hîc eſſe. Cùm enim Chriſtus Dominus dixerit, ſe eſſe vitem, & lucem, & viam, ut ipſimet objectant, quæ ſunt allegoricè dicta, nulli tamen Sacramento materiam præbuere. At ipſi agnoſcunt panem & vinum, quæ Chriſtus Dominus dixit eſſe

ſuum corpus, & ſuum ſanguinem, maximo Sacramento materiam dare. Ergo ex ipſorum quoque ſententiâ hîc pluſquam allegoria eſt. Cęterum loquor de regulâ fidei, quæ Magiſtris Eccleſiæ ab Apoſtolis tradita eſt: apud quos ex S. Irenæo diſcimus populos debuiſſe legere, & ſcrutari Scripturas. Tempus eſt ut argumento faciam ſatis, & ejus ſolutioni finem imponam.

Poſtquam Scripturas ab Eccleſiâ, quatenùs Apoſtolica eſt, recepimus, & certas ſimul methodos in eis verſandi, quæ traditionis Eccleſiaſticæ peritos minimè fugiunt; eædem Scripturæ, de quibus non dubitamus, nos alias Eccleſiæ conditiones docent, nēpe eam unam eſſe & Catholicam. Atque adeò idem non probatur per idem. Dat enim nobis Scripturas, & certas rationes eas explicandi, quatenùs Apoſtolica eſt, id eſt quatenùs ab Apoſtolis fluxit: quod per indubitatā & manifeſtam Epiſcoporum ſucceſſionē, quâ Apoſtolis ſucceſſere demonſtratur. Scripturæ verò ſic nobis

traditæ docent nos, non quod Eccleſia Apoſtolica ſit, hoc enim propriis oculis percipimus, ſed quod falli non poſſit: quia nempe ſi hic aut ille in Eccleſiâ errat, reclamant alii, & obſiſtũt: quod Eccleſia non poſſit falli mihi tradendo Scripturas: incurrerem enim vitium, quod vocant circulum: ſed probo per ſucceſſionem certam & evidentem, quam ne adverſarii quidem in dubium revocant. Itidem quod hi ſint libri, non alii, qui ſcripturas continẽt, haud probo per Eccleſiam, quatenùs cudendo dogmata falli non poteſt: ſed probo per Eccleſiam quatenùs ab Apoſtolis eſt; & Epiſcopos habet, qui illis certiſſimè ſucceſſerunt. Itaque licet has eſſe Scripturas ad fidem pertineat, quatenùs hoc inter fundamenta illius eſt, & ſupponitur ante omnia, tamen præcisè de fide divinâ non eſt, quia aut fide humanâ hoc didicimus, quæ inconcuſſa authoritate nititur, aut propriis oculis intuemur. Quod autem adverſarii noſtri ęgrè ferũt nos in regula fidei traditionem inſerere: non

mirum : agunt ex ingenio Hæreticorum tam veterum quàm recentiorum. Et velim ad iſtud animum advertant. Hæreticos ſe negant, cùm characterem Hereticorum manifeſtè habeant: fruſtrà nomen detrectant ejus, cujus notam præ ſe ferunt. Quis heterodoxorum qui quatuor primis Eccleſiæ ſæculis vixere, ad quæ libenter provocant adverſarii, traditiones non contempſit? quis ſanctorum Patrum, qui contra eos ſcripſere, traditiones non ingeſſit, non oppoſuit, non propugnavit? Has contra Chriſtianos parum morigeros & Sacerdotibus rebellantes Corinthios, ſtatim ab initio commendat Clemens Pontifex Romanus : has contra Valentinianos inculcat Irenæus, contra Marcionem opponit Tertulianus, contra fluctuantes, & dubios opportunè ingerit Origenes, contra Schiſmaticos iterat Cyprianus, cõtra Novatianos landat Pacianus, contra Donatiſtas extollit Optatus: contra Arianos probat Athanaſius, contra πνευματομάχους Mace-

donianos obtendit Baſilius, cõtra Apollinariſtas profert Gregorius Nazianzenus, cõtra Eunoniũ urget Gregorius Nyſſenus, contra omnes propugnat Epiphanius. Eligãt adverſarii quâ parte ſtent. Exiſtimo PRÆSUL ILLUSTRISSIME, vel ex his argumento me feciſſe quàm maximè.

Hic tamen tria notanda mihi videntur propter heterodoxos. Primum eſt. Licet ſucceſſio ab Apoſtolis non omnibus Eccleſiæ Epiſcopis conveniat, tamen cùm omnes Eccleſiæ Epiſcopi, fide & communione cum Epiſcopo Romano colligentur, cujus ſucceſſio ab Apoſtolis clara, manifeſta & indubitata eſt, ſatis eſt ut Eccleſia tota Apoſtolica dicatur. Hoc dixit clarè Tertulianus, hoc diſertè S. Irenæus: qui Apoſtolicam demonſtrant Eccleſiam; quia ſedes illa principalis Apoſtolica eſt, quia aliæ *ſoboles ſunt ejus*, & idcircò *omnes primæ*, & omnes *Apoſtolicæ*, verba ſunt Tertuliani. Hoc S. Cyprianus, S. Athanaſius & alii, qui ſi quis Eccleſiam quam regebant, convellere, aut ſcin-

dere aggrederetur, confidenter aſſeruere illos fruſtra eſſe: Eccleſiam ſuam ſupra Petrum fundatam nullis fluctibus, aut tempeſtatibus poſſe commoveri; & qui contra hunc vel illum Epiſcopū inſurgit, contra Petrum, contra Chriſtū ſupra Petrum Eccleſiam ſuam fundantem inſurgere dictus eſt. Tanti eſt huic Romanæ Eccleſiæ uniri, contra quā heterodoxi ſæviunt adeò, ut hæreſis eorum tota ex furore quodam contra illam concepta videatur. Nec me movet, cum aſſero ſucceſſionem Epiſcopi Romani ab Apoſtolis certam & indubitatam, Salmaſii authoritas: nemo dicat plus fanatico huic homini fidei hac in re eſſe adhibendum, quàm S. Irenæo, Tertuliano, & aliis proximè eos conſecutis.

Alterum eſt: quamvis ſucceſſio perſonarum ab Apoſtolis non continuò ſucceſſionem doctrinæ Apoſtolicæ evincant: undè S. Irenæus duo illa requirit: tamen, ut dixi, prçjudicio ei maximo eſt. ut videre eſt tam in S. Irenæo, quàm in Tertuliano: quãquam

S. Irenæus, & S. Gregorius Nazianzenus ad perfectam ſucceſſionem, pietatem, & ſanctitatem in iis qui ſuccedunt, requirunt. Aliàs ſic poſtremi primis ſuccedere cenſendi, quomodo febris ſanitati, tempeſtas tranquillitati, inſania vel furor ſapientiæ, vitium virtuti ſuccedere dicuntur: quę ſunt verba S. Gregorii Naz. haud tamen habent adverſarii quod inde contra nos concludãt. Nam & ſanctitate prędìtos eſſe debere eos qui Apoſtolorum ſedem obtinent, & eâ ſi carent, vitium virtuti, vel febrim ſanitati ſucceſſiſſe, confitemur & dolemus; ſed ſaltem ibi aliqua ſucceſſio eſt. Nec qui poſteà in peccatis verſatur, omninò alius eſt ab eô, qui ſine peccato vixit, nec qui ęgrotat, diverſus ab eo qui ſanus fuit: & in utroque multa deprehendere poſſumus eorum quę in ipſis erant, cum mente, vel corpore ſani fuerunt. At adverſarii noſtri neminiſucceſſere; ut ante dixi: apud hos nec fides Catholica, nec conſtans pietas, nec ſucceſſio ulla reperitur: Qui

autem ſucceſſionem ab Apoſtolis non habent, quî demonſtrare poſſunt ſe doctrinam tenere Apoſtolicã, poſt intervallum mille & quingentorum annorum? Quod enim dicunt in voluminibus Apoſtolorum ſe doctrinam Apoſtolicam habere, neque aliud quicquam quærere: aio, quod ſi Apoſtoli aliqua ſcripſere, certè multò plura dixere, quæ conſtruẽdæ & conſtituendę Eccleſiæ non minùs neceſſaria erant, ac ea, quæ ſcriptis reliquerunt. Quę autem verbo tradidere, ad nos venire non potuerunt, niſi ſucceſſione perſonarum ſuppoſitâ. Doctrina Apoſtolica duo complectitur: & quæ pertinent ad dogmata, & quæ pertinent ad diſciplinam Eccleſiaſticam. Hoc ſecundũ uſu potiùs, & exẽplo, & verbis, quàm ſcriptis traditur, & ſolâ ſucceſſione illorum qui viderunt & audierunt, ad poſteros tranſmittitur. Ergo eorum ſunt participes ii potiùs qui ad Apoſtolos pertinent, quàm illi, qui tanto intervallo ab ipſis ſejuncti ſunt. Dicam hîc Præsul illus-

TRISSIME rem tuâ, & omnium Catholicorum animadverſione dignam. Si Chriſti Domini, & ejus Apoſtolorum doctrina, & miracula ſolis in ſcriptis quæ de iis, aut ab iis ſunt, remanſiſſent, nec ulla poſt eos ſecuta eſſet Eccleſia, quæ illa verbis & operibus ſuis toto terrarum orbi cõmendaſſet, non pluris apud homimines ea hodie eſſent, quàm ſint Apollonii, & quorumcumque aliorum admiranda, quæ à Philoſtrato, & aliis narrantur: ſed aut tanquam vana æſtimata, aut certè inter illa fuiſſent repoſita, quæ quidem admirationem pariunt, & cauſas latentes habent; ceterùm quæ cum tempore tranſierunt, & quorum ſola memoria, res tam antiquas, tamque incredibiles, nec firmo judicio, nec indubiâ ſententiâ admittens, ſupereſt. Quod ergo Chriſti & Apoſtolorum doctrinam & miracula poſteris mirum in modum commendat, iſtud eſt, quod ubique terrarum citò percrebuerũt; quod defenſores invenerunt, qui vitam iis poſthabuere; quod ad

nos uſque pervenerunt, ita ut ea etiam nunc quaſi præſentia habeamus, nec temporibus fuerint involuta, nec longâ annorum ſerie fides eorum marceſſere viſa ſit. Et verò dicenti quondam cōtra Chriſtianos Celſo Proconneſium Ariſteum, & Abarim, & alios etiam prodigia patraſſe, qui tamen in Deos relati non ſunt, & iccirco ęgrè ferenti Chriſtum Dominum propter admiranda quæ egit, ut Deum coli, dum reſpondet Origenes lib. 3. contra Celſum, non ait fabulas inanes eſſe, & mera figmenta quæ de iis narrātur, quod tamen verè dixiſſet; ſed quærit, quo cum emolumento hominum, & quanto cum fructu iſta facta ſint? Quid profuere mundo viri illi admirādi? ſcilicet & eorum prodigia, & eorum nomina cum ipſis evanuere. At inquit, miraculis & doctrinâ Chriſti, poſtquam orbi innotuere, innumerabiles undequaque homines, relictis vitiis ad meliorem frugem rediere. Ex quibus videmus quantum pondus iis quæ de Chriſto dicuntur, hoc

eſt Sacræ Scripturæ affert Eccleſia, quæ à Chriſto fluxit, in omnes partes diffuſa,& ad finem uſque temporum perſeverans, hoc eſt Eccleſia Catholica, & Apoſtolica, quæ duo nec Lutherana, nec Calviniana, quippe recens natæ, ſed ſola Romana obtinet. Cumque à Chriſto Domino mille & quingenti anni præteriiſſent, quâ fronte nova ſecta emergens, ſpretis iis qui ſucceſſione indivulsâ Apoſtolos, & per eos Chriſtum attingunt, & Catholicam, hoc eſt ubique locorũ florentem fidem profitentur, itidem ritibus illis, qui toto illo tẽpore in uſu fuere, conculcatis; rectà ad Chriſtum & Apoſtolos evolarunt, quaſi poſt tanta ſæculorum intervalla mentem Apoſtolorum melius capiant, deque ſententiâ eorum certiores eſſe poſſint, iis qui viderunt eos & audierunt. Qui traditionem à Scripturâ divellit, hancque vult nudam & ſimplicem inſpici, non ſecus facit, ac ſi quis à fonte manantes rivos ſperneret, & fontem ſolum intueri vellet: cùm tamen

ab ubertate fluentium rivulorum, & aquarum decurrentium claritate, & ſalubritate, de fontis excellentiâ judicemus; non ſecus ac ſi quis patris amplitudinem & dignitatem, filiis ejus ei non abſimilibus poſthabitis conſideraret: cum certum ſit *gloriam Patris eſſe filium ſapiĕtem*; non ſecus ac ſi quis Solem ſuis radiis circumſcriberet, & privaret, ut eum nudum contemplaretur, & naturam illius, ac vim melius perſpectam haberet, cùm ejus vis, & natura per radios ſeſe diffundat, & patentem faciat: & tamen rivus à fonte, filius à patre, radius à ſole eſt quicquid eſt: ſed in eorũ cognitionem à quibus ſunt facillimè, & certiſſimè ducere poſſunt. Sic traditio, licet in ſacrâ Scripturâ ſuas habeat radices, & ab eâ tãquã rivus à fonte manaverit, tanquã filius à Patre nata, tanquam radius à ſole profecta ſit, quæ ſine illâ Scripturam adire vult, & perſcrutari, Scripturam maximâ ſuâ pulchritudine, & claritate ſpoliat: neque illam aſpicit quâ parte ſe nobis exhibet, & oſten-

tat; denique non quâ parte ſe aperit, eam penetrat: undè non niſi cæcitates ab eâ feret. Papias apud Euſebium ait iccircò ſe adire voluiſſe ipſoſmet Chriſti Diſcipulos, quod eorum vivâ voce plura diſcere ſe poſſe crediderit, quam ex ſolâ librorum lectione. Hoc ſtudio non ducerentur heterodoxi noſtri: nec ſi viventes alicubi terrarum ſcirent Apoſtolos, aut Apoſtolorum Diſcipulos, loco ſe movere vellent, ut eos loquentes audirent, aut agentes contemplarentur: contenti ſcilicet eorum ſcriptis. Sed quis id ferat, & non deſidiam potiùs id aut ſtoliditatem interpretetur?

Poſtremò obſervandū eſt Eccleſiam, quæ ut Apoſtolica eſt, Scripturas dat in manus fidelium, ſi qui ſint inter Libros ſanctos qui revocentur in dubium, cum ex indubitatis libris diſcamus eam falli non poſſe, circa illos qui in dubium revocantur à nonnullis, certò ſciſcere, & definire poſſe. Quod addidi, quia fatetur Origenes lib. 3. contra Celſum initio non conveniſſe inter Chriſtianos

de divinis ſacræ Scripturæ voluminibus. De quibuſdam, nempe, nam quædam alia fuere de quibus dubitatum nunquam. Ea autem de quibus dubitavere initio ſancti Patres, quod nondum eſſent in Canone, non rejecere propterea, quin iis aliquando uterentur, ut ſe dabat occaſio.

Hæc habui dicenda, VIR ILLUSTRISSIME, ad propoſitum à te argumentum, exiſtimo nullam amplius facere difficultatē. Vale.

E monaſterio Erivallenſi 9. Februarii 1660.

EPISTOLA
AD
ILLUSTRISSIMUM
ET RELIGIOSISSIMUM D.
D. FRANCISCUM
DE HARLAY
ARCHIEPISCOPUM
ROTHOMAGENSEM,
NEUSTRIÆ PRIMATEM.

In quâ de moribus & vita Chriſtianorum in primis Eccleſiæ ſæculis agitur.

ILLUSTRISSIMO
AC RELIGIOSISSIMO
DOMINO D.
FRANC. DE HARLAY
ROTHOMAGENSI
ARCHIEPISCOPO, &c.
F. I. FRONTO C. R.

ECCLESIÆ naſcentis exordia percurrẽti, PRÆSVL ILLVSTRISSIME; & prima corporis illius, cujus nos mẽbra ſumus, incunabula repetenti, licet totus de recens natis ſermo ſit, nihil tamen puerile occurrit, nihil leve quod oculos tuos offendat, quodque attentione tua indignum videatur. Fœtum deſcribo ab ipſa ſua origine virilem, in primoribus annis robuſtum, qui minimè quidem ſerpentes ſuis in cunis compreſſos extinxit, ſed Pardos, ſed Leones,

S. Ignatius martyr. feraſque multas, & ignes devicit, qui infamiam neſcivit, & ſenum gravitatem antequam adoleſceret, obtinuit. Crevit quidem in dies, & ſeculorum numero, & meritorum cumulo, factus eſt auctior: ſemper tamen terrâ major, par cælo, & novũ mundum in mundum invehens. *S. Auguſtinus.* Uno verbo Chriſtiani ſunt, quos tibi hac in epiſtolâ offero, quorum ortũ, & primam inſtitutionem, ſi attentâ mente contemplamur, videbimus in illis viros magnâ cum ſapientiâ repueraſcentes, pueros ultra viros ſapientes. Virgines quæ matrum ſedulitatem & prudentiam habent; Matres quæ *Tertulianus.* virginum pudorem & caſtitatem præ ſe ferunt, ſenes candore, & innocentiâ pueros, plebem denique majoribus ſanctitatis titulis ornatam, in qua tot reges & ſacerdotes, quot homines: quæ ita modeſtè, ita graviter ſe gerit, ut *S. Petrus.* majeſtatem quandam ei tribuere non vereatur celeberrimus illorum temporũ Eccleſiæ Princeps. *S. Cyprianus.* Sic autem ſubitò mundum implevere, quaſi lux ab oriente af-

affulgens, quæ quaquà verſum ſeſe momento diffundit. Sic illico eum affecere, ut tamquam ejus anima cunctas illius partes permeans, novamque vitam infundens, calorem, ac ſenſus à priſtinis & veteribus diſcrepantes, intra ſeculi unius, aut alterius ſpatium produxerit. Et verò quid boni anima corpori cōfert, quod Chriſtiani mundo non contulerint? Sed viciſſim, quid incommodi animæ corpus rependit, quod mundus Chriſtianis æquè non intulerit? Nonne corpus eſt quod videtur, & quod propterea primas ſæpè obtinet, & cogitationes occupat, de quo omnis cura habetur: ubi anima deſpecta & neglecta pro nihilo ducitur, & curis corporis causâ aſſumptis torquetur? Hi Eccleſiam componunt, quæ non è cerebro parentis ſui jam grandis, & armata, ſed è latere mortui viva, è ſanguine crucifixi velut *caſtrorum acies ordinata*, ex undis ignea profecta eſt. Et quemadmodum auctor ejus Chriſtus, ex fœminâ ſine viro natus eſt, ſic ipſa ex viro ſine fœmi-

S. Iuſtinus mart.

nâ, altero quidem miraculi genere, ſed munditiem partus æquè prædicante, proceſſit. Reſpublica eſt, in qua magnates ſunt, & infimates, qui regunt, & qui reguntur: quos tamen haud facilè diſcernas, cum æquales ſe dicant omnes, & Principes ac Sacerdotio præ aliis ornati, ſentiantur magis beneficiis ſuis, quàm agnoſcantur inſignibus ſuis. Quodque mireris, in eâ conſanguinei ſunt cuncti: majores natu tanquam patres colunt, minores tanquam filios fovent, ætate pares ut fratres complectuntur, & his ſe nominibus paſſim compellant. Matres itaque videas in illâ republicâ complures, quæ nunquam pepererunt, quæque virginitate gaudent, ſcilicet ob ætatis ſuæ prærogativam. Nulla hic de ſterilitate familia conqueritur, cum plures ubique filios habeant, quibus ſuccurrere tenentur. Nullus auxilio parentum deſtituitur, cùm tot ſentiat patres, quot ætate ſunt grandiores. Vix ulla hîc vidua ſuam ſolitudinem luget, aut de ſolatio ab altero

Athenagoras, & Tertullianus.

marito quærendo cogitat, cum ſe conjugis adhuc viventis uxorem credat, fratrũque bene multorum ſororem ſe factam videat. Uni ſe proindè Chriſto ſæpè alligat, Eccleſiæ officiis ſpeciali jure, ſi digna videbitur, ſuo tempore conſecranda: ut affectus omnes, dum in matrimonio fuit experta, illos erga Eccleſiæ alumnos cum omni ſanctitate exercere, & rependere valeat. In hac republica nullus ſe unicum eſſe gaudet, quaſi ſolum hæreditati capeſſendæ deſtinatum: tot enim cohæredes, quot fratres habet: imò hæredem ſe nemo gloriatur, niſi bonorum quæ æterna ſunt: vitam enim vivunt non hujus ſæculi, ſed futuri. Chriſtiani adeò, ut nihil prætereà: ne ſi quid aliud, jam non Chriſtiani exiſtimentur. Eam ob rem injuriarum titulo poſtulati fuerunt, ac ſi ſeculo inutiles, & in negotiis infructuoſi, reipublicæ nihil commodi afferent: quamquam vitę opera cum aliis communicarent, humili & obſcuro vitæ generi, quod erant profeſſi, minimè contraria. Ab

Tertulianus.

S. Cyprianus.

Tertullianus.

Origenes.

Ter-tulia-nus. Ori-genes. gerendo magiſtratu civili plurimi abſtinuere: ne Deo & Cæſari partiti, duobus non ſufficerent. Erant quippè in Eccleſia dignitates, & munera, quibus ſi digni eſſent, majore cum pietate, & cum fructu uberiore fungi potuere. Pauca omnino loquuntur: plura ſiquidem mente cogitant, & grandia, quæ illos totos loccupant. Pythagoræi ſunt mundo, *S. Pau-linus.* Peripatetici Chriſto, re & ſchemate Philoſophi, haud nomine. Magna non loquimur, ſed vivimus, inquit unus ex illis. *S. Cy-prianus.* Nihil majus, aut excellentius habuere nomine Chriſtiano: & licet inter eos diverſi eſſent ordines, *Ter-tulia-nus.* Clericorum, Laïcorum, Virginum, Viduarum, Nuptarum, Confeſſorum, Martyrum, in hoc tamen rei & profeſſionis ſuæ ſũmam & culmen collocavere, quod Chriſtiani eſſent, & vel ex hoc ſolo ad maxima quæquæ & perfectiſſima ſibi contendendum intellexerunt. Hoc ſenſit profectò Martyr præſtãtiſſimus noſtras Attalus, qui à Præſide compluries interrogatus quiſnam & cujas eſ-

ſet, & quibus ortus parentibus, cujus profeſſionis & ætatis, cujus ordinis, & an dives an pauper, ad ſingula non aliud reſpondit, quam *Chriſtianus ſum*: hac iterata reſponſione ſignificans, in hoc uno & genus ſuum, & patriam, & vitæ rationem, & ornamenta, & omnia eſſe repoſita: & præter hoc, cætera apud ſe eſſe nihili, & nullo in numero haberi. Hoc ſenſit & martyr Blandina fidei & gloriæ Attali ſocia: nam mediis in tormentis, quæ in longum protracta, & ſæva admodum fuerunt, crebrò exclamabat, *Chriſtiana ſum*: ita ut repetita hæc ſæpius profeſſione vires ſuas, & animi robur, & vigorem reparare videretur. His verò ſermo ſimpliciſſimus, *eſt eſt, non non*; jusjurandũ æquè ac perjurium vitât: Mendaciũ Chriſtianis mõſtro ſimile, quippè qui in baptiſmo hoc eſt in ipſo Chriſtianę religionis aditu, caractere veritatis conſignati ſunt: & apud quos ſolos omnium hominum, quantum eſt qui in terra vivunt, veritas ſedem ſuam fixit. Quod ſi

Epiſt. Vien. & Lugdun. martyrii.

Clemens Alex. Tatianus.

S. Juſtinus mart. prolixiores aliquando ferunt ſermones, Chriſtus eſt quod loquũtur; Chriſtus eſt quod audire geſtiunt, & hic crucifixus: ſemper & ubique locorum mortis ejus ac cruciatuum memores, ex ejus *Tertullianus.* mandato: totum enim Chriſtiani nominis pondus, & fructus, mors Chriſti eſt. Hanc tamen mortem eo potiſſimùm tempore celebrant, quo cibo & potu reficiuntur: ritu planè contrario veterum epulonum conſuetudini: qui intra convivia caput hominis mortui circumferebant, ut ſe eſſe morituros in animo habẽtes, genio impenſiùs indulgerent, & fugitivas voluptates ambabus, quod aiunt, manibus retinerent. Diſpares inquam illis Chriſtiani, qui intra convivia ſua mortis Chriſti memoriam uſurpant, ut hac morte vitâ eorum conditâ, pœnis aſſueſcat, ærumnas ut familiares habeat, & velut generationis ſuæ, quæ fuit in Chriſto, obſtetrices, fidei ſocias, *Minutius Felix.* ſpei ſuæ nutrices intueatur. Vix ullus inter eos alteri ignotus eſt: cùm enim ſimul orent, ſimul di-

vina verba audiant, ſimul ſæpè comedant, ſimul ſint quãtum fieri poteſt, adeò quiſque alteri notus eſt ac præſens, ut quocumque in loco, in omni occurſu, ſeſe agnoſcant, & ſi fortè linguâ non licet, oculis ac nutibus ſalutem ſibi dica nt, oſcula jactent, & de cõmuni ſpe gratulentur, aut etiam ſi opus eſt, ſuppetias ferant. Et vide quæſo, Præsul Illustrissime, quonam modo ſibi Chriſtiani tunc temporis innoteſcunt, & ex quo argumento ipſi numero penè infiniti, ætate diſtincti, conditione impares, nec vicini, nec ulla ratione conjuncti ſeſe dignoſcant. Hic noſter eſt, inquit unus ex illis: hunc enim in Eccleſia vidimus; cum eo Deum oravimus, cum eo panem fregimus, & Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti refecti ſumus. Et alius: hic noſter eſt, ait, ſimul enim divinas Scripturas audivimus, ſimul genua fleximus, & à communi Patre ſimul inſtituti & eruditi ſumus. O conſanguinitatem nobiliſſimam, quæ communi ad Deum oratione,

S. Iuſtinus martyr.

diviñæ doctrinæ conformitate, corporis & ſanguinis Chriſti cõmunicatione coaleſcit! O affinitatem, quâ non ſolis & lunæ frater, non ſyderum particeps, quod olim Rex maximus, & Rex regum dici ambiebat, ſed quâ Chriſti frater, civis ſanctorum, filius & domeſticus Dei homo conſtituitur! Quod ſi remotis ex regionibus, peregrinus adveniat, nondum fidei ſuæ prolatis literis, jam Chriſtianus agnoſcitur. Illum vultûs ſquallor, & oculorum inceſſus, ſermonum, & veſtimentorum modeſtia ac gravitas, corpus jejuniis arefactum, & divinum, neſcio quid in eo emicans, apud ſuos latere non ſinunt. Id ſiquidem habent vir bonus & ſapiens, ut etiam tacentes, & nihil agentes, velut ex odore ſentiantur. At quando ſceleroſis permixti, una cum illis morti traduntur, qui in turbâ ſunt fratres, etiam peregrini, eos nullo cum negotio ſecernunt: alacres enim ad ſupplicia properant, cælum ſæpius intuentur, carnifices ultro laceſſunt, pœnas irrident,

S. Ioã Chryſoſtom.

Euſeb Cæſa.

& in ipſiſmet mortis faucibus immortalitatis, cujus proximi ſunt , veluti anteludia oſtendunt. Suos verò præpoſitos, qui ob gradum honorem merentur, Clericos inquam, non aliis ex notis diſcernunt ac venerãtur, ubi ubi ſint, quam ex frequenti eorum miniſterio, ratione cujus ſępiùs fidelium oculos incurrunt, cum ipſis ſunt, eos alloquuntur, ut nullo pacto ignorari queant: pernicioſũ quippè ſit gregi Chriſti, ſi oves Paſtores ſuos non cognoſcunt: aut ſi aliis ſignis illi noti fiunt, quam his quibus ovibus proſunt. Intimi ergo ſunt Chriſtiani alii aliis, & penè familiares: eam ob rem ad omnia parati, ſi quid opus habent. Æger eſt aliquis: eò ſe conferunt ut inviſant, & ſolatia præbeant. Quod munus Chriſtianarum mulierum fuit maximè. Vix ob aliam cauſam domum egreſſæ, extra conventuum Eccleſiaſticorum horas, vix unquam aliàs per plateas procedentes, niſi ut ſuccurrant, ut miniſtrent, ut per eas aliis benè ſit. Nulla hîc operam ſuam recuſat,

Tertullianus.

aut manum retrahit: nulla labori parcit, nec ſi nobilis, nec ſi opulenta eſt: hæc enim Chriſtiana profeſſio pridem abſorbuit, & ad æqualitatem omnes revocavit. Chriſtiana eſt, inquit una ex illis, Chriſtiana ego ſum: ergo ſoror mea eſt, conſors mea, & conparticeps. Si ætate provectior, mater mea eſt, ait, ſi junior, filia: tantis autem nominibus, quæ in cordibus ſcripta ſunt, nec in ſolis & extremis labiis natant; quæ ſentiuntur æquè ac proferuntur, nihil negari poteſt. Itaque manum ulceribus admovent, languentia membra contrectãt, ad omnia ſunt præſtò. Quod ſi huc mentis oculos advertas, SAPIENTISSIME PRÆSVL, & diligẽtiã ac ſedulitatem iſtius contemplaris; illius verò patientiam, & modeſtiam, in utroque Chriſtus eſt: & hæc jacentem in lecto Chriſtum intueri; & ille ſuccurrentẽ ſibi Chriſtum videre videtur. Divina adeò miſericordiæ opera ſunt, ut alter alteri eorum inter quos exercentur, pro Deo ſit. Neque hęc matronarum officia,

S. Iuſtinus mart.

ac ſtudia erga ſanctos, inutilia & infœcunda illis fuere: ſed eas præparaverunt, & dignas reddiderunt, quæ (ſi Deus illas à conjugio ſolvit) Chriſto & Eccleſiæ miniſtrent. Quod ſi quis ob fidem communem carcere incluſus eſt, eò convolant, ut opem ferant. Nulla adeò fida cuſtodia, quàm non ſibi demereant: nulla clauſtra adeò firma, & tuta, quæ non penetrent. Huc ſe conferunt, alii poſt alios, compedes eorum & catenas venerantur, vulnera exoſculantur, fractis membris, & exhauſtis corporibus refrigeria præbent. Et inter illa unus Chriſtus reſonat: ei pſalmi decantantur: ei orationes ſtatis horis offerũtur. Cumque hujusmodi pietatis officiis præſint ij qui ſacerdotio inter alios pollent, præſint inquam, non ut imperent tantũ, ſed ut aliis præeant, & ipſimet adſint, illic etiam intra carceris ſqualIorem, in tantis loci anguſtiis ſacra fiunt, & corporis, ac ſanguinis Chriſti myſteria celebrantur. Scilicet, locus ubi pro Chriſto patitur Chriſtianus, ſan- *Dionyſ. Alexandr.*

ctus eſt : ubi tam eximia, tam Deo placens, tam cælo digna victima reperitur. Multâ cum ratione illic pro Chriſtiano immolatur Chriſtus, ubi pro Chriſto libenter immolatur Chriſtianus. Quod ſi exilio mulctatur fidelis, nullibi exul eſt : ubique enim invenit quos fratres & cives ſuos, quos patres ſivè filios appellare queat. Hi concurſu ſuo eum conſolantur, & ut ſuum complectũtur : literis certiores facti illum pro communi fide, pro nominis confeſſione affligi. Si ad metalla damnatur, quamprimùm ex circumjacentibus locis conveniunt fratres, qui juvant, qui cruciatus minuunt, qui cibos diſtribuunt, qui laboris fiunt participes. Et ſivè in ergaſtulis, ſivè in inſulis, ſivè in fodinis, & lapicidinis laborantes & afflictos eos videant, tantùm abeſt ut ſortem eorum lugeant, quin potiùs extollunt, laudant, gratulantur ? glorię illorum non invident, ſed parem ſibi exoptant. Quod ſi deferveſcente tyrannorum irâ, & ſubſidente tempeſtate, compedibus

aliquando ſolvuntur, ſi liberi emittuntur, patriæ reſtituuntur, partim ſaucij, fracti & debiles, partim ſemiuſtulati, & minùs quã dimidii, his occurrunt alii frequentes, domibus ſuis certatim excipiunt, vulneribus tam glorioſis oſcula figunt, pro modulo ſuo recreant; & quanto plures apud ſe poſſident, tanto ſe feliciores prædicant: ſed & ſingulari eos deinceps honore proſequuntur: vix à Sacerdotibus hac in re eos diſtinguentes: qui enim ſe hoſtiam Deo dicavit, minimùm à Sacerdote diſtat. Certè ſolemne fuit, & honorificum Eccleſiæ ejuſmodi Marty res & Confeſſores, ad ordines promovere, & ſacris infulis donare. *S. Cyprian.*

Petis fortè, (VIR ILLVSTRISSIME.) Ut quomodo ergà pauperes affecti ſunt primi Chriſtiani, hîc quoque enarrem. Sed pauperes vix ullos habuere in primo ſui exortu, aut veriùs pauperes tunc omnes fuere, nihil habentes, nihil habere cupientes. Quæ ut exponam, neceſſe eſt ut præmittam quodnam fuerit pręcipuum

tantæ pietatis, ac contẽptus rerũ in illis fundamentum, ex quo cætera concludere facillimè poſſimus. Cùm initio penderent plurimùm ab ore Apoſtolorum, & Prælatorum ſuorum, duo ſunt quæ identidẽ ipſis inculcata fuerunt. Nempe *nos non habere hic civitatem permanentem, ſed futuram inquirere*: umbram eſſe quod vivimus, rem in futuro expectandam. *Præterit*, inquit Paulus, *figura hujus mundi*. Quid phantaſmatis tranſeuntibus inhiamus? Quæ bona videntur effluunt. Denique in *imagine pertranſit homo*: & quod tempori eſt obnoxium, auffugit, auffûgit. Eò itaque cogitationes transferendæ, ubi ſtabilis vita, pulchritudo ſincera, beatitas vera & æterna. Hoc primum quod altè inditum animis, magnum rerum præſentium contemptum, certamque promiſſorum bonorũ expectationẽ producit. Alterum quod ſequitur non minùs ad id contulit: ſcilicet finem mundi jam jam imminere. *Tempus breve eſt*, inquiebant populi rectores: inſtat finis, & judicii dies mag-

nus: quorſum prœdia, & theſauri, & opes, quas ignis quāprimum abſumet? Pavidi itaque, & diem noviſſimum ſemper cogitantes, vixere: de poſteris haud ſolliciti, quia an poſteros eſſent habituri, dubitavere. Et quid mirum ſi ſic affecti, bonis omnibus renuntiaverunt, poſſeſſiones ſuas vendiderunt, nullas acquiſiverūt, vēditarum poſſeſſionum pecunias Apoſtolis tradiderunt, ſingulis, ſicut unicuique opus erat diſtribuendas, ut nudi nudum Chriſtū ſequerentur? Neque cruciabat illos filiorum cura, quos cum fidei Eccleſiæ commiſiſſent, in tuto eos collocaſſe crediderunt. Functa enim eſt officio parentum Eccleſia, ergà illos, illorumque filios & nepotes, quorum bona ſibi fuerant conceſſa, ita ut nulla re indigerent. Ut omitam ab Eccleſiæ magiſtris, mandatum ſimul & exemplum accepiſſe, manibus ſuis operandi, ut haberent & undè viverent, & unde pauperibus darent, atque oppreſſos ſublevarent. Parum enim illis eſt laborare, quò vitam ſuſtentent,

Acta Apoſtolorū.

Origenes.

S. Paul.

S. Polycarpus.

niſi & labore ſuo alios adjuvant. De ſuperfluo apud eos diſputatio non fuit, apud quos non fuit ſuperfluum. Quod cum ſudore vultus comparatum, fratribus (id eſt, cuilibet indigenti) communicandum: aliàs ſe fruſtra laboborare exiſtimant. Sic in illo Chriſtianæ religionis initio, non fuit alter altero ditior, eratque omnia omnibus Chriſtus, & Eccleſia ejus: iccirco antè dixi, aut omnes pauperes fuiſſe, aut nullos. Quia verò ſacerdotale munus judicavere, unicuique ea ſumminiſtrare, quæ deſunt, miſeris ſubvenire, dare indigentibus ſine perſonarum acceptione, curam de omnibus gerere, (quidni Sacerdotale quod propè divinum eſt?) eam ob rem Apoſtolis, pòſt Epiſcopis, quod idem eſt ac ſi dicerem Chriſto, & Eccleſiæ, omnia ſua tradidere, ut ab iiſdem illi ipſi qui dederant, quæ neceſſaria erant, & nihil ampliùs reciperent. Hac ratione illi meritò patres dicti; iſti re verâ filii: quibus titulis ſemel poſitis & ſtabilitis, quid non juris illis in iſtos,

ut monerent, ut arguerent, ut corrigerent, ut ad meliora ſemper promoverent? Quanta verò diſpoſitio in iſtis ut amarent, ut obedirent, ut ſequerentur? Et multi erant tamen in unaquaque urbe, & in agris, ac propè innumerabiles. Sed multitudo tanta oneri non fuit præpoſitis, in quibus & charitas maxima, & pietas ſumma, & ſapientia incredibilis, ut regerẽt, & cunctis providerent. Nec opulentiores fuere, quia receperunt ab omnibus: multò enim pluribus dederunt, quam iis à quibus acceperant: pecuniæ amor, divitiarum cupiditas, acquirendi anxia ſollicitudo, tam aliena fuere à Chriſtianis tunc temporis, quam cœlum cui animo vivebant, & quod toto ſpiritu anhelabant, diſtat à terra quam pedibus calcavere. Quid enim de ſæculo appetere poteſt, qui ſæculo major eſt? Et qui propter beneficium quodcumque collatum pretium repeteret, is tanquam turpi lucro adhærens, ſeverè admodum caſtigatus eſt. Fœnoris, & uſuræ, & alia ejuſ-

S. Cyprianus.

S. Gregorius Taumaturg.

Ter-tulia-nus. modi. tectorum latrociniorum nomina tunc prorſus inaudita, & inviſa fuerunt. Uno verbo, nihil hujus mundi ambivere, niſi ut ex eo citò exirent. Et Prælati receperunt omnium pecunias ſine avaritiæ periculo. In animam quippè Chriſto armatam, divinis Scripturis plenam, ſpe bonorum æternorum munitam, & ea ferè jam præcipientem, ac deguſtantem, ſceleratus, & deteſtabilis pecuniæ amor non ingreditur. Et ſe pauperis Chriſti Vicarios, pauperumque filiorum Patres, ac pauperis Reipublicæ Principes recordati, paupertatem habuere ut ſociam nulli reprehenſioni obnoxiam, omni invidia majorem, quæ illos apud plebem mirum in modum commendaret, & offenſionum ac calumniarum tela, ſi quæ eſſent, facili negotio repelleret. Qua de cauſa libenter eis dedere Chriſtiani, nihil ſe amittere exiſtimantes: neque timuerunt ne qua re aliquando indigerent: ſed curis ſoluti, & ab omnibus expediti, alacres ad promiſſa bona cucurrere. Poſt verò quàm

prædia poſſederũt, curæ illis fuit bonis ſuis ita uti, ut Deo primitias, Eccleſię dona, pauperibus eleemoſynas, infirmis & oppreſſis auxilia, captivis autem, non ejuſdem tantùm ſecum Diœceſis aut Parochiæ, ſed aliis etiam, in redemptionem pretia, abundè impertirent: vixere inter divitias tamquam inter ſpinas, ſcientes quod tentatio eſt patrimoniũ grãde, niſi ad uſus pios impẽdatur. *Origenes.* *S. Cyprian.* *Idem.*

Quod ſi Reipublicæ hujus ſanctæ, quæ tota cæleſtis eſt, & in terris degit; quę alibi negotiatur, quamvis ubi eſt, ſpeciem quæris exteriorem, ac veluti proſpectũ, viles admodum & objecti fuere cives illius, nihil in veſtibus, nihil in cibis, nihil in domibus ſplendidum & ornatum habentes. Si qui nobiles in illis, ſi qui ſapientes, hi cunctis nobilitatis, & ſapientiæ ornamentis rejectis, fratribus ſuis ſimiles facti ſunt: pluſque valuit illorum humilitas ut nobiliores ad ſe adduceret, & in ſe transformaret, quam horũ nobilitas ut mores humilium cõmutaret. In capillis exornandis *Minutius Felix.*

nullus cultus, nec in viris, nec in mulieribus: circa corporis ſuperflua, ſuperfluus iis videtur labor: ne ſcilicet animi ſtudia, quæ nihil niſi ſanctitatem anhelant, laſciviens capillus prodat. Fucatum omne & peregrinum oderunt æquè in veſtimentorum coloribus & contextu, ac in morum culturâ, nihil operosũ circa corpus geſſere, omnem curam & ſollicitudinem ad animam transferêtes. Lino, & lanâ, & vulgaribus aliquot prȩterea pellibus, res eorum veſtiaria conſtitit fuitque illis parabilis ſupellex. Ut omitam quodcumque opus cum Deo adoriri ſolitos: fauſtum nihil exiſtimantes, cujus initia Deo non eſſent, fusâ aliquâ oratione, conſecrata. Nec agrorum cultus, nec fructuum collectio, nec ædium conſtructio, ne veſtis quidem, vel quodlibet aliud è neceſſariis, ſine precibus vel inchoatum, vel uſurpatum, vel conſummatum fuit. Apud ſeculum itaque prorſus contemptu digni judicati sũt, vix ullo in numero poſiti, nec pluris quam manus mancipiorũ

S. Hilar.

S. Aſterius

S. Hilarius

viliſſima æſtimati fuerunt, ſine honore, ſine dignitate, ſine poſſeſſione, terræ filii, vermium fratres appellati, ranis & formicis comparandi, qui numquam in theatris, aut cætibus publicis cōparerent. Sic verò ſperni gloriosū duxere. Ne ſi ſeculū eos amaret, perderet; aut nè ſi eos amaret, amaretur quoque, in quo mors Chriſtianorum eſt: denique nè Deo & mammonę ſervire cogerentur. Sciebant enim, & ſibi in colloquiis ſæpiùs iterabant ſe in mūdo, non de mundo eſſe. Aliud omninò erant, quam quod videbātur; imò nihil minùs erant, quā quod videbantur homines: ſe eſſe obliti, ut tantum ſe Chriſtianos cogitarent. Et qui in aliquo gradu honoris conſtituti, ad fidē vocati ſunt, ſæpè illo repudiato, conditionem aliorum humilem & abjectam amplexi ſunt: idque feciſſent Cæſares, ſi tunc potuiſſent eſſe Chriſtiani. Cęterum imperare, gubernare, in ſuggeſtu, vel pro tribunali ſedere, oneroſum illis viſum eſt, nec Chriſtianos adornans. Chriſtum colentes,

Celſus Apud Origenem

Tertulianus.

qui venit miniſtrare, non miniſtrari. Servi de libertate obtinendâ minimè ſolliciti fuere, pluresſque invenias id temporis, qui ſervire elegerint. Sic ſeculo ignoti ſibi vivunt, tanta inter ſe conſenſione, tanta unanimitate & concordia, ut quod vix credibile ſit, prçter conventus ſacros, in quibus una omnium mens & oratio, etiam in diſtinctis dominibus ſuis poſiti, iiſdem horis & ſurgant, & orent, & comedant, & legant, & pſallant, & dormiant, & vigilent, iiſdem cum ritibus, quos dicturus ſum, ſi familiam Chriſtianam iſtorum têporum aliquando deſcribam: ſignis autem ad ea utuntur publicis, quæ data fuere in urbibus, quibus & aurora ſurgens, & diei horæ diverſæ ſignificatæ ſunt. Nulli quicquam peragendum incumbit, quod una cum illo omnes non ultrò amplectantur. Jejunandum fuit alicui? Omnes jejunavere: orandum fuit? Omnes oravere: flendum fuit? Flevere omnes, aç ſi cuncti peccaſſent: denique fuere illis & lachrymæ

S. Ignatius mart. *Tertull.* *S. Juſtinus mart.*

communes? & gaudia cōmunia, & in uno omnes, & in omnibus unus. Hoc maximè Prælati, hoc ante illos Apoſtoli uſurpavere. Et ſeorſum, & in commune convivia agitavere ita ſobriâ, & modeſta, ut nec jejunia noſtra iis comparanda; ita verò ſancta, ut Euchariſtiâ divinâ ea vel inchoarent, vel finirent. Quin etiam in his conviviis Philoteſias celebravere, ſed quam ſanctas, bone Deus! quam caſtas! vel ex hoc conjicere licet, quod in cratêre Sanguine Chriſti conſperſo amicitias ſuas cōtemperavere. Scolia quoque hic decantata: genus eſt cantici veteribus inter epulas uſitatum: Sed quę Chriſto perſonarent. Domos habuere communes, & ſibi & peregrinis, modò fidei ſuæ teſtimonia proferrent: qui fratrem domo ſua ejecit, aut excluſit, & ipſe ab Eccleſia aut ejectus aut excluſus eſt. Quoad jejunia, præter ea quæ ab Eccleſia, & à præſulibus imperata ſunt, ſic eis indulſere ex proprio motu, ut crebrà & aſpera prorſus eſſent, & corpus ſuum inediâ con-

S. Ioā. Apoſt. *Ter-tull.* *S. Cy-prian.* *Cle-mens Alex. & Greg. Naz.* *Ori-genes.*

Ter-tull. ficerent: ita ut jejuniis aridi, in ſacco & cinere ſeſe volutantes, invidiâ cœlum tunderent. Denique voluptas quæcumque adeò illis exoſa, & à Chriſto crucifixo abhorrens, & perfectæ ſapientiæ cui operam dabant contraria judicata eſt, ut eam velut peſtiferam & inimicam, & exitioſam fugerent: nec niſi raptim, & ex debito vel neceſſitate admitterent. Et licet Pythagoram non audierint, norunt tamen apprimè animas morte corporũ, corpora morte animarum vivere, *Ori-genes.* creſcere, roborari. Generoſi itaque cujuſcumque libidinis domitores fuerunt: illius maximè quæ fortiores etiam emaſculat, ferrea pectora emollit, victores orbis devicit: in hac inquam comprimendâ adeò vigilantes, adeò excelſi, adeò magnanimi fuere, ut Angelis quàm hominibus ſimiliores, & Deo propiores cui *Cle-mens Alex.* vivunt, quam mundo in quo vivunt, extiterint. In vita ſua & moribus caſtiſſimi, in conjugio ſanctiſſimi intra pocula Chriſtum canentes etiam in ſomniis divina volven-

volventes, & iccirco sẽper parati quovis in loco, quavis hora mundas manus ad Deũ tollere potuerunt. Virtutũ amori ita addicti, ut nec ferre poſſint illos qui ſe vitiis cõtaminarent: ſed eos & à menſa communi, & ab oratione, & à cõverſatione, & à cœtibus communibus ſubmoverunt. Obſervavere cum primis illos qui contraria Prælatis ſuis docuere, & ab iis tanquam à peſtibus receſſerunt. Si ex improviſo verba fidei ſuæ haud conformia, vel quæ impietatem redolerent, audiunt, aures ſuas ſtatim obturantes, feſtinant ſe à loco in quo prolata ſunt, ſubducere, nè illos commacularet. Nihil ſæpiùs à Prælatis audierunt, quam ut ab ejuſmodi hominum contagione caverent, & mundos ſe ac caſtos à perverſis illorum doctrinis conſervarent, eratque pravæ ſententiæ præjudicium maximum, novitas. Quò verò ab omni hæreſeos labe intacti, & integri forent, fuit illis in more poſitum Scripturas ſanctas legere & audire apud Sacerdotes, in Scholis publicis: neque in domi-

Concilia. *S. Irenæus.* *S. Hieron.* *S. Irenæus.* *Euſeb. Cæſ.*

busſuis eas tractare ſolebant, niſi quas Sacerdotes, vel alii interpretati fuerant, & explicuerant, juxtaque ſenſum illorum in iis verſati ſunt. Verùm ita aſſidui erant nonnulli eorum ſive Clerici, ſive Laici in iis evolvendis, ut toti in illis eſſent, ferè memoriâ tenerent, ad omnia uſurparent: ſic porrò ſucco illarum paſcebātur, ut ex iis animus vegetior & alacrior factus, corpori inediis & vigiliis confecto vigorem & robur adderet. Auſim prætereà aſſerere ab nutibus Prælatorum ita pendêre omnes, ut nihil ſine iis aggrediantur, nullum in locū, niſi literis eorum muniti, proficiſcantur: his inconſultis, nec matrimonia contrahunt, nec ullum vitæ ineunt propoſitum: nec mirum cum illi patres, hi filii eſſent. Neque hîc reticendum quanta cum reverentia Presbyteros Eccleſiæ, (quo nomine & Epiſcopi, & Summi Pontifices appellati fuere) ad ſe venticantes exceperunt, aut ad eos ſe contulerunt. Ad primum acceſſum in terram proſtrati, & aliquando pedes eo-

Euſeb. Cæſ.

S. Ignatius mart.

Tertull.

Acta martyrum

rum exoſculati, non priùs ſurrexerũt quàm ſuper eos brevi benedictone præmiſſa, orationẽ pronuntiaſſent, jubendo antè ut attenti eſſent, hac præfatiunculâ, *Oremus*: & poſtquam finita oratione, reſponderant, *Amen*, ſurgentes oſculo ſe cõſalutavere. Sacerdotes in comitatu ſuo, aut in domibus commorantes habere fuit illis in votis: quò per eos Deum orarent, & ſibi demererent, ac præſentem illum intueri, & cum eo converſari ſe crederent. Eandẽ ob cauſam viros bonos ac pios ſibi devincere, & in familia alere magni fecerunt, quòd illic affluere multa à Deo bona, ubi illi plures erant, mala verò iis qui illo præſidio eſſent deſtituti, exiſtimarent. Ex hac maximè cum prępoſitis conjunctione, venit ut quãta quanta eſſet multitudo Chriſtianorũ in civitate & in agris, una eſſet omnium conſpiratio, conſimiles mores, ſententiæ haud diſcrepantes. Et ſi quid in ritibus diverſum, quod minimè quidem in Diœceſi una, ſed in Catholica Eccleſia reperiri

Euſeb. Cæſ.

S. Irenæus.

perit concentûs Eccleſiaſtici harmonia, & nihil in auribus Dei ſuave reſonat.

Nulla unquã Chriſtianis cauſa fuit cur à cœtibus ſacris abeſſent, quandiu ſani, & nullius criminis conſcii, & ſui compotes fuere: nec ſi diſperſi eſſent, aut ad metalla damnati, ne in carceribus quidem ceſſavere unquam diebus & horis aptis ſacras ſynaxes celebrare, cum quantis fieri potuit fratribus, qui adibant illos, ut cũ eis congregati, communes Deo orationes funderent. Grave nempè erat Chriſtiano non orare cum aliis, ſtatis horis & temporibus: privatæ quippè orationes quibus frequenter incumbebant, non tanti eſſe videbãtur, præ illis quæ in ſocietate, & in conventu fratrum fiunt, ſemperque optavere cum pluribus orare: licet cœteroquin, ut jam dixi, numquam non orarent. Porrò orationum publicarum, ut hoc obiter dicam, (habebunt enim fortè ſuum locũ etiam iſta, ubi tractari poſſit,) fuêre dies Dominicæ, quæ in ędibus ſacris celebratæ ſunt, ad quas

S. Cyprianus. S. Dionyſ. Alex.

agebant, in quadam Epiſtola non de alio conqueritur, quam quod ſibi non liceat cum fratribus ſuis, id eſt, cum Chriſtianis ſolemnes ſynaxes peragere. Hoc illi durius fuit, quàm procul à patria abduci, pane & aquâ nutriri, humi cubare, multa mala perpeti. In cœtibus pueri & puellæ, & infantes, modò baptizati eſſent, cum natu majoribus affuere. Sacerdotibus orationes ſuas, & munera, & vota commendarunt: vix enim ſine eorum interceſſione Deum convenire auderent: ſed cui bona ſua dedere ſingulis dividenda, illis quoque cor ſuum, & animam ſuam Deo offerendam tradunt, precibus ab eo recitatis attenti, & reſpondẽtes, *Amen.* Signo crucis perquam familiariter uſi ſunt, non in auro & argento, ſed in fronte & in pectore. Ad omnem ingreſſum, ad omnem occurſum, in cibo, & potu, in lecto, in domo, in plateis, & in foro illud adhibuere: nec ſine illo quicquam adoriuntur: eo ſe dæmonibus terribiles fieri ſenſerunt, ut vel ipſi pueri

S. Cyprian.

Tertulianus.

cum eo ſpiritus nefarios exagitarent, quivis autem etiam in templis & idolis habitantes minimo flatu diſpelleret, aut ab obſeſſorum corporibus magnâ cum fiducia ejiceret.

S. Cornelius PP. Vix credibile ſit quam ſolliciti fuerint in ſepeliendis defunctorũ corporibus, ut nec graſſantem Principum tyrãnidem veriti ſint, nec vitæ pericula eos ab hoc officio deterrere potuerint: & pro magno piaculo habuerunt, ſi quis huic miniſterio addictus quamcumque ob cauſam defuiſſet. Nec tantum in ſepeliendis corporibus diligentes ac imperterriti, verùm etiam in condiendis illis fuere magnifici: ita ut Sabæi teſtari poſſent, pluris, & carioris ſuas merces ſepeliẽdis Chriſtianis profligatas, quam diis fumigandis. *Tertulianus.* Qua in re ſubit admirari, illos qui in ſquallore, & abjectione vitam duxere, in curandis mortuis fuiſſe adeò curioſos, & liberales, opum, & vitæ ſuæ prodigos. Scilicet morte Chriſti redẽpti, vitæ mortem præferunt; illã parvi faciunt, hanc colunt: non

ut olim Lacedæmones, tanquam id quod vitæ præteritæ coronidē apponit, ſed tanquã id quod vitę futuræ, & ęternę præludia auſpicatur. Quid dicã de illorũ erga Principes ſæculi obſervantiâ? Ut eos reveriti fuere? Iis quoad licuit morem geſſere? Pro illis in ſacrificiis, & precibus ſolemnibus oravere? Ut cenſum iis & tributa ſine murmure pependere? Non exiſtimantes quemquam niſi Deo volente regnare. Et videre erat Chriſtianum, hominem nihili, ſi oculos tuos conſulis, ſed qui totum cœlum, totamque paradiſi gloriam animi magnitudine cõplectitur, manibus ſuis dies & noctes laborantem, quò ſibi ſuppetat, & quod Deo ac Eccleſiæ offerat in ſacrificium, & quod Regi pendat in tributum, & quod pauperibus largiatur, & quod ſibi ac familię ſufficiat. Sed re verâ, viro ſic affecto, modicum eſt quod ſufficit. An ſilentio prætermittam illos qui in matrimonio, & extra matrimoniũ omni prolis habendæ ſtudio renuntiarunt? Qui relictis omnibus ſoli Deo

Origenes.

S. Ambroſ.

Tertullianus.

vixerunt? Fuerunt ejuſmodi permulti à primo Chriſtianitatis exortu, inter alios velut ſydera conſpicui, profeſſione Philoſophi, vitam aſcetarum agentes, in urbe ſine urbe, in domibus ſuis conditi, ſacris Scripturis immerſi, qui jejunia, ut maxima ſanctitatis ſubſidia adhibuerunt. Ex his non pauci peregrè proficiſcentes, munus Evangeliſtarum apud diverſas nationes præclarè obierũt: & poſtquam fidei fundamenta jecere, Paſtoribus cõſtitutis, aliò properaverunt: verè Apoſtolorum munere perfuncti. Virgines Eccleſiæ, præclara illa religionis noſtrę ornamenta, hortuli Eccleſiaſtici flores pulcherrimos, viventes Dei victimas, lampades templi ejus maximi ſemper ardẽtes, hîc non commemoro: ut integer de iis dicendi locus relinquatur.

Euſeb. Cæſ.

Tertulianus.

Sed nunquid non fuere inter Chriſtianos tunc temporis, qui ſe peccatis, & ſceleribus, inquinarent? Fuere procùldubio, qui ſuperficie vocabuli, veritatem infamarunt. Sed fuere etiam pœ-

nitentiæ graves, quas ob oculos noſtrorum Chriſtianorum ponere, operæ pretium eſſet. Et quãdiu peccatores erant, nec pœnitentes, vix inter Chriſtianos cenſebantur, tantum abeſt ut cum illis vel orarent vel convenirent. *Quid enim nomẽ ſine profeſſionis præſtantiã? Non ſtatim ſunt quod dicuntur: ſed quia non ſunt, fruſtra dicuntur*, inquit unus ex illis. Et alius, *Quid te ab hæreticis diſſentientem gloriaris, qui eandem cum illis ſortẽ habiturus es*, niſi ſeriò ad Deum converteris? At de eo qui ſinceram pœnitentiã amplectitur, dictum eſt, *peccator & pœnitens non eſt Eccleſiæ macula*. Pœnitentes ſeorſum ab aliis cõſiſtentes, & ipſi Eccleſiam quandam compoſuere, quæ candidæ illius & innocentis germana ſoror dicere potuit, *Nigra ſum, ſed formoſa filia Hieruſalem*.

Idem. *Origenes.* *S. Pacian.* *Origenes.*

Hac cum vivẽdi ratione Chriſtiani quam primùm orbem implevere, & Regibus ac Imperatoribus in ſuſpicionem venerunt. Quid enim ſeculi gloria faceret hoſtibus ſuis acerrimis? An divitiæ & opes, Dii terræ maximi,

impunè ſe contemni, & calcari ferent? An celebris illa *unica cunctarum regina pecunia rerum*, pro luto ſe haberi patietur? Ergo tota mundi pompa adverſus illos inſurgit: & nè latiùs ſerpant, nè orbem innovent, illis cataſtas, equuleos, carnifices, leones, flãmas, & aliquando Philoſophos opponit. Sed Deo, & Chriſto juvante quem adorãt, carnificibus conſtantiores, ac magis infatigabiles, leonibus fortiores, flammis ardentiores, equuleis & cataſtis robuſtiores, Philoſophis ſapientiores, & ipſiſmet Imperatoribus majores facti ſunt. Vicerunt eo victoriæ genere, quod vehementer cupiebant, mortem perferẽdo, ſimul & ſuperando. Sanguis martyrum factus eſt ſemen Chriſtianorum. Alterius operæ eſt horum Athletarum generoſa certamina perſequi. Satis eſto heic dicere lucifugas Chriſtianos, ſarmenticios, & ſemaxios, (ſic eos adverſarii appellavere, quod ad ſtipitem dimidii axis revincti, ſarmentorum ambitu exurerentur:) qui in cryptis, & cœme-

Tertullianus.

Idem.

teriis latitabãt, factos eſſe mundi Dominos: & quod vix credidere veteres fieri poſſe, Cæſares ipſi facti ſunt Chriſtiani. Efficere non potuerunt Gentiles exquiſitis ſuis tormentis, carnificinis, vivicomburiis, exiliis, membrorum cõfractionibus, exſpoliationibus; ſed nec promiſſis, præmiis, muneribus, voluptatibus propoſitis, quæ non minùs ſæviunt quàm aut ardentes laminæ, aut fodicantes ungulæ: efficere inquam non potuerunt, ut hoc eſſent Chriſtiani quod ipſi erant: ſed Chriſtiani patiẽtiâ, fortitudine, modeſtiâ, ac etiam morte ſua fecere tandem aliquando ut hoc eſſent Gentiles, quod ipſi fuere. Vicerunt Chriſtiani moriendo, & leges dederunt eis qui eos interfecere. Victi ſunt Gentiles ſæviendo, & leges acceperunt ab illis quos necavere.

Habes hîc Præsul Illustrissime, Chriſtianos primorum ſeculorum, quorum nos filii & nepotes ſumus, licet moribus & vitâ quam diſſimillimi. Non pudeat nos tam humilia habuiſſe prin-

cipia, quæ tandem orbem ſuperavere. Non erubeſcamus ob majorum noſtrorum paupertatem: ſed propter divitias noſtras, & multò magis propter perditũ illarum amorem, confundamur. Quamquam ſi tot inter homines, qui hodie Chriſtianorum nomen profitentur, ſecernas eos, qui quantùm ex notis Evangelicis cõjicere poſſumus, promiſſæ gloriæ futuri ſunt participes: id eſt, ſi ſecernas eos, qui tanto nomine quod gerunt, digni ſunt, illos non multum abſimiles iis quos deſcripſi, invenies; ſed pauperes æquè, afflictos, latentes, in agris diſperſos, in tuguriolis habitãtes, vix habentes undè vivant, contemptos, in nullo numero poſitos confitéberis, terrâ, ejuſque bonis indignos, & propterea coelo donandos: ut de his dicere poſſimus, quod de illis pronuntiavit Apoſtolus, *Videte vocationem veſtrã, non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi nobiles, non multi potentes.* Et ſi hos cum illis quibus flammæ præparantur, comparamus, cum eodem Apoſtolo exclamabimus.

Elegit Deus ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret. Locutus ſum tãtùm in hac Epiſtola de Chriſtianis in genere: Fuerunt inter illos diverſi ordines, Clericorum nępè, Virginum, Viduarum, Martyrum, pœnitentium, & aliorum, de quibus ſingillatim agere, alterius loci eſt. Timeo nè ad tantã lucem multorum caligent oculi. Speculum Chriſtianis noſtri temporis propono, ad quod ſi oculos advertunt, habebunt undè ad virtutem accendantur. Vale.

Ex Monaſterio S. Carauni ad Carnotum, ipſo die Sabbati ſancti, anno Domini 1660.

FAMILIA CHRISTIANA IN PRIMIS ECCLESIÆ SECULIS.

EPISTOLA

AD
ILLUSTRIS. ET CLARIS. D.
D. GUILIELMUM
DE LA MOIGNON,
SENATUS PARISIENSIS
PRINCIPEM.

ILLUSTRISSIMO ET CLARISSIMO DOMINO D. GUILIELMO DE LA MOIGNON, SENATUS PARISIENSIS PRINCIPI.

F. J. FRONTO C. R.

CHristianorum mores in primis Eccleſiæ ſeculis, in quâdam quæ præceſſit Epiſtolâ deſcripſi: non ſingula quidem perſequendo, ſic enim volumine integro fuiſſet opus: ſed in genere, tam ampli argumenti velut ſpicilegium obtuli: fuitque materia illa delibata potiùs à me, quàm pertractata. Verû erat in animo,

ſi nihil impedimenti foret, quæ in tantâ ſegete præcipua occurrunt, ob oculos fidelium ponere. Et exindè eſt, quod huic cartæ, qui ſe geſſerint Chriſtiani tunc temporis, propriis in domibus, quæ fuerint uniuſcujuſque familiæ circa Deum, & pietatis cultum conſuetudines, quàmque religiosè vixerint apud ſeſe, mandare velim. Et tibi Senatorum Principi hæc ſcribo, quod certò ſciam, idque conſtet apud omnes. Te tuoſque Chriſtianæ pietati cum primis vacare: antiquos mores tuâ in domo vigere: & quod totius religionis ſumma eſt, Chriſtum ubi cunctis vel opibus, quę amplæ ſunt; vel dignitatibus, quæ maximæ; vel occupationibus, quæ continuæ; præferri. Verùm ſub tui nominis titulo, tuarumque inſularum auſpiciis, aliis prodeſſe volui. Si enim ſe intrà ſe, ſuiſque in penetralibus colligerent Chriſtiani, familiæque tam moribus ſanctis inſtituendæ, quàm rebus omnibus augendæ ſtuderent, floreret mirum in modum Chriſtianum nomen,

& uniuſcujuſque domo templum, altare, ſacerdotes, & ſacrificia pietas conſecraret, ut ſenſim olim S. Joannes Chryſoſtomus, & nos ipſi hâc in epiſtolâ oſtēdimus.

Quæ dicturus ſum ex SS. Patribus primorum ſeculorum hauſi, ex Tertulliano potiſſimùm, & Clemente Alexandrino. Fatebor tamen, ea me non lectione ſolâ, & locorum, quæ huc faciunt, deſcriptione, ſed iteratâ meditatione, & frequenti ad ea mentis attentione fuiſſe aſſecutum. Scribam hoc de argumento minimè vulgaria, & quæ fortè in nullius cujuſquam mentem venerunt: nihil tamen proferam cujus probationes apud me non conſtent, quas, ſi opus erit, alterâ in epiſtolâ dabo. Quamquam profiteor ingenuè, me quoque nonnunquam conjecturis uſum fuiſſe, at certè probabilibus, & quæ fundamētis non carent, ad quæ qui animum adverterit, me non multum aberraſſe, & rem uti ſe habuit, his paucis comprehendiſſe agnoſcet. Tria tamen ſunt quæ ſtatim ab initio notare pretium operæ ſit.

Primùm non eadem ubique obſervata, ſed diverſis in locis diverſa fuiſſe in uſu, quamvis non omnino inter ſe diſcrepantia. Alterum, ritûs quoſdam, eos potiſſimum qui de ſacrâ Euchariſtiâ ſunt, non diu perſeveraſſe, & vix tertium ſeculum exceſſiſſe. Poſtremùm, non eo tendere univerſa quæ ſcribo, quod velim ea nunc temporis in uſum revocari: ſed hæc iccircò affero, & quod ſcitu præclara ſint, & ut veterũ exemplo noſtri, ad illa quæ hodie præſcribuntur incitētur. Poſt illa præmittendum cenſeo, me ſæpè Conſtitutiones Apoſtolicas laudare non quod exiſtimem ab Apoſtolis manaſſe. Sed antiquiſſimæ ſunt, ſub finem tertii ſeculi, niſi fallor à pio quodam Epiſcopo collectæ, in quibus tēporum illorum conſuetudines non indiligenter complexus eſt: quas quia ab Apoſtolis Eccleſiæ conditas non immeritò credidit, illis iccirco tranſcripſit, & eorum nomine pronuntiavit. Has magni fecere viri doctiſſimi, etiam ex heterodoxis: quamobrem tutò

me illarum authoritate uti poſſe, judicavi.

Fuit id curæ Chriſtianis in primoribus Eccleſię annis, ut quoad fieri poſſet, in ſacro omnium conventu, ſero & mane, nocte & & die orarent, quòd illic, & propter mutua exempla ferventiores; & propter conjunctas multorum voluntates, efficaciores; & propter Prælatorum prę-ſentiam qui præibant aliis, ſacratiores preces funderentur. Potiſſimùm verò ſero & mane ad Eccleſiam convenire, illis curæ fuit. Cujus rei teſtimonium eſt in Cõſtitutionibus Apoſtolicis. Verùm ſivè quod ſingulis diebus conventus non fierent, ſive quod illuc ſe recipere non ſemper liceret, eoſdem ritûs apud ſeſe obſervare, & eaſdem precum, ac divinorum Officiorum celebrationes ſtatis horis exequi curaverunt. Mane dato publico ſigno exorientis lucis, (quod fieri ſolebat in Urbibus) ſimul omnes ſurrexerunt, ut ex præcepto S. Ignatii diſcimus: & in eundem locum recepti, ore patrisfamilias, niſi

Presbyter, aut Diaconus adeſſet, Deum ſupplices adoraverunt: pro peccatis, ſi quæ de nocte exciderant, veniam peccati ſunt, confeſſione quadam Deo & fratribus, qui adſunt, peractâ, ex mandato S. Jacobi: quod in privatis familiis diu perſeveravit. Orationis Dominicæ, & ſymboli recitatio eadem horâ quamprimùm fuit in uſu, ut ſe Chriſtianos eſſe nunquam non recordarentur. Certè de recitatione ſymboli manifeſtè teſtatur S. Ambroſius: quo etiam ad omnia quæ occurrebant pericula, uſi ſunt, ut fide, quæ mundum ſalvum facit, armati, nihil pertimeſcerent. Hymni quidam à ſanctis Patribus in hanc rem editi, & Pſalmi nonnulli decantati, ut in ſancto Athanaſio legimus. Sic diem auſpicati totius diei opera Domino conſecrarunt. Solvebat conventum qui præerat exhortatione brevi, juxta S. Pauli mandatum, qui frequentes ejuſmodi inculcat exhortationes: datoque oſculo, quod in Tertulliano orationis eſt ſignaculum, id eſt clauſula &

finis, cuique ad opus ſuum proficiſci licuit. Ex Scripturis divinis tunc aliquid delibatum fuiſſe, vix dubitare poſſim. Fuere namque in familiis Anagnoſtæ, hoc eſt lectores, ex uſu & conſuetudine etiam Gentilium: pronuntiabat itaque Lector aliquid ex ſacrâ Scripturâ, ut primum in ànimo locum hæc occuparet, & mentis cogitationes totâ die ſanctas redderet. Verbum enim Dei, primi illi Chriſtiani, tanquam corpus & ſanguinem ejus, & tanquam Deum ipſum receperunt, intra ſe condiderunt, venerati ſunt. Neque tamen promiſcuè quod occurrebat legerunt, ſed quod è re omnium fore judicabant ii qui præerant.

Horâ tertiâ, ſi dies feſtus eſſet, convenere Chriſtiani in ædes ſacras, ut Miſſam cum Prælatis ſuis celebrarent. Sin verò dies erat communis, aut in Eccleſiâ, aut apud ſe orabant, Sed verò Sacrum audire ſingulis diebus, ſivè oblationis ſacræ fieri participes collatis ſuis muneribus, ſolitos fuiſſe Chriſtianos, vix ex SS. Ambroſio

& Auguſtino dubitare licet. Horâ ſextâ, niſi eſſet feria quarta & ſexta, de quibus infra dicam, prandium fecerunt, & ante ac pòſt Deum orarunt. Verùm quàm ſanctè id fieret, & quibus cum ritibus hîc deſcribendum. Ante prandium preces ad Deum fuſæ, & laudes ei dictæ tanquam auctori omnium bonorum, ut docet Clemens Alexandrinus. Cibos à Deo benedici petierunt, ita ut pane ſuo quotidiano tanquam ſancto uſi ſint, nec ſine religione illum tractaverint. Omnia quippè, ſuper quæ Dei nomen invocatum eſt, ſancta exiſtimavere Patres noſtri. Hoc autem pane, nec excõmunicatos donaſſet, nec ſceleroſos: imò apud veteres Monachos, panis qui excommunicato fratri datus eſt, ab Abbate aut Priore expui & exſufflari ſolebat. Chriſtiani panem ſuum cõmunem pòſt benedictionem, velut ſanctum comederũt, cujus etiam particulas decuti, & in terram cadere, ægrè tuliſſent, ut notat Tertullianus. Non ergò tunc breves & tranſlatitias perſtrinxere ora-

tiones, ſed longas, & multiplices Deo laudes obtulerunt, ut fame ſuſpenſâ, non tam ad cibos venter hiaret, quam ad Deum animus feſtinaret. Antequam eſcas attingerent, pace invicem ſibi datâ, cōmunione ſanctâ jejunum ſtomachum conſecrarunt, divino ſe Corpore & Sanguine Chriſti roborantes tanquam eſcâ præcipuâ: ut immortali cibo, priùſquam eo qui perit, reficerentur, & alterius vitæ, quæ per Chriſtum eſt, potiùs quàm iſtius curâ ſe duci oſtenderent. Hoc pacto convivium mortis Chriſti memoriâ conditum, non epulones, non gulæ deditos, non vētri ſervientes admittebat: & caro ſic Deo ſaginata, facilè cupedias, & gulæ irritamenta reſpuebat. Sed antequam divinam Euchariſtiam ſumerent, Dominica Oratio recitata fuit: neque unquā Euchariſtia ſine Oratione Dominicâ celebrata eſt, ſi diligenter S. Gregorii Magni verba perpēdimus. Fuit etiam in more poſitum apud aliquos ante prandium, quadam confeſſione, conſcien-

tiam purgare, ne indigni Euchariſtiam ſacram quæ præibat, deguſtarent: ſed etiam ſi non præcederet Euchariſtia, id nihilominus uſurparunt: ne ſimul eidem menſæ, animo penitus non reconciliato aſſiderent: ſimul enim coram Deo edere, communionis genus fuit, ſic à nonnullis ſanctis Patribus appellatum: & præterea ne pane per præmiſſas benedictiones ſancto reddito, cum peccatis vel leviſſimis veſcerentur. Hæ mihi videntur eſſe rationes conſuetudinis hujus, quã apud aliquos deprehendi, quæque hodie religiosè in quibuſdam Monaſteriis perſeverat. Et quidem initio purgatio illa quæ per confeſſionem fit, & reconciliatio, quam ad communionem, cùm Euchariſtiæ, tum mẽſæ exigimus, in ſolâ orationis Dominicæ recitatione conſiſtere potuit. Nam poſtquam à Deo panem noſtrum quotidianum in eâ petivimus, quo pane tam Euchariſtia, quam panis communis intelligi poſſunt, peccata noſtra confitemur, dum ea nobis dimitti rogamus: quod

de levioribus peccatis ſumẽdum, expreſsè docet S. Auguſtinus: & præterea ad reconciliationem provocamur, dum ſubjungimus, *ſicut & nos dimittimus* &c. Quamobrem non mirum ſi tam ad cõmunionem Euchariſtiæ, quam hâc etiam omiſſâ, ad communionem menſæ, Orationis Dominicæ recitatio apta viſa eſt, quæ tanquam prævia quædam præparatio adhiberetur. Sed addo nonnullos mutuâ etiam inter ſe confeſſione peccatorum ſuorum uſos fuiſſe. Dum porrò comedũt, ac ſi cœnaculum templum eſſet, Deum nominant, Chriſtum invocant, ac ſeu bibant, ſeu manducent, ſignum crucis uſurpant, pias admodum Philoteſias circunducunt, ſermones ſerunt ex Evãgelio, hymnos tanquam ſcolia concinunt, divinas interſerunt lectiones, quas aut pueri recitãt, aut Lectores, de quibus ante dixi. Eſt autem hæc legendi in menſâ conſuetudo pervetus, apud Philoſophos, & viros graves ex Gẽtilibus uſitata: quã idcircò Chriſtiani retinuere. Hæc quę ſupra

allata ſunt, ex Clemente Alexandrino, & Gregorio Nazianzeno, & Theodoreto, comperta habemus. Nihil fuit hilarius his noſtris convivis, quippè qui ad æterna gaudia toti, iſtis obſervationibus, inter bibendum & comedendum intendebant. Tunc paterfamilias ſe quoddam genus ſacerdotii ſuâ in familiâ gerere cogitans, partem ciborum pauperibus reſcindit: & hoc pietatis officio, menſam ſuam in aram, domum in Eccleſiam, cõvivium mutat in ſacrificium, inquit S. Joannes Chryſoſtomus: hæc tamen per metaphoram quandam dicta fuiſſe, ex aliis S. Chryſoſtomi locis, nimis quàm manifeſtum eſt. Quod ſi hoſpes adeſſet, illum non ſecus ac Chriſtum obſervarunt. Primas ei obtulere, preces inchoabat, & finiebat: quod *colligere orationem* veteres dixerunt: ab ipſo pocula benedici, quiſque dum biberet, petierunt. Cuiquam autem a ſvẽranti hoſpiti, januam occludere, piaculum erat; *nè fortè Chriſtus eſſet.* Et ſanctius conviviũ exiſtimatũ eſt, quod cum hoſpite

celebratum fuit. Denique tantâ cum modeſtiâ & gravitate cuncta hîc peracta ſunt, ac ſi intra ſacros parietes, & coram Presbyteris agerent.

Finito prandio rurſus in divinas laudes & gratiarum actiones proruperunt. Si quis habebat Pſalmum, ut cum Apoſtolo loquar, ſi quis exhortationis ſermonem, ſi quis revelationem, prodibat in medium, & proferebat, præſidente patrefamilias, velut antiſtite ſacrorum domeſticorũ. Hæc enim etiam domi facta, docet Tertullianus: ſcripturas tamen tractarunt, juxta ſenſum & explicationem, quam ab ore Presbyterorum, vel eorum, quos Epiſcopi conſtituerant, audiverunt: difficilia quæque illis reſervarunt. Si hoſpes aderat, avebant ex ejus ore ea audire, quibus ſecundùm Chriſtum erudiri poſſet. Maximam partem pomeridiani temporis in his impendunt, quo tempore alii ludis, & variis oblectationibus vacarunt. Conſuevere Chriſtiani olim quibus horis, vel diebus, Gentiles jejuniis,

& inani Idolorum cultui impenſiùs operam dabant, jejunia remittere, & in religioſis obſervationibus moderatè verſari. Contrà verò, quibus horis vel diebus illi relaxationibus, & inſanis oblectationibus utebantur, ipſi jejuniis, & orationibus frequentes incumbebant. Ut ſcilicet filii lucis, & filii tenebrarum nullâ in re convenirent, & conſpirarent: *quæ enim conventio Chriſti ad Belial?*

Horâ itidem nonâ ſive ſeorſim, ſive ſimul orarunt Chriſtiani ſuis in domibus. Nam præterquam quod mos erat Hebræis, illis horis orare, viderunt illas in actibus Apoſtolorum ab Apoſtolis ipſis orationibus ſuis conſecratas. Harum expreſſam mētionem faciunt conſtitutiones Apoſtolicæ, Tertullianus, Cyprianus, & Clemens Alexandrinus. Undè qui diē aliter diviſerunt, ſingulis horis, ſive in conventu domeſticorum, ſive ſeorſim oraverunt. At feriis quartâ & ſextâ, quæ Paraſceve etiam dicta eſt, quia jejuni uſque ad horam nonam remanebant, quæ ſemijejunia à Tertul-

tulliano dicta ſunt, ſoluto horæ ſextæ penſo, circa horam nonam: in Eccleſiâ convenerunt, ut ex Tertulliano, & S. Anaſtaſio conſtat, & illìc preces Deo fuderũt, ſacrum Miſſæ ſacrificium celebrarunt: & quando convenire non pótuere, apud ſeſe eadem; quoad licuit, peregerunt. Deinde cœnarunt eiſdem cum ceremoniis quæ in prandio allatæ ſunt: ſcilicet orationibus & pſalmis præmiſſis, pace datâ cum oſculo caſtiſſimo, Euchariſtiâ jejunium ſolverunt. Cœnam & lectione piâ, & colloquiis ſanctis, & nominis Chriſti invocatione, & ſigno crucis ſuper poculis facto exornarunt: quod ſi Presbyteri, aut viri ſanctitate conſpicui adeſſent, ab iis cibos, & pocula benedici voluerunt: & hæc obſervavere, vel in Eccleſiis convenientes cum aliis, (quod initio ſæpè fiebat.) vel ſuis in domibus ut ex Tertulliano; & S. Cypriano manifeſtum. Quod ſi jejuniis integris vacarunt, ad veſperam uſque cibum diſtulerunt: ex more nempe Hebræorum, & natio-

num fere omnium, quæ non niſi micantibus in cœlo ſtellis, diebus jejunii cibum ſumpſere: & poſt hæc jejunia liberaliore cœnâ utebantur, ad quam pauperes invitarunt. Jejunabāt enim ut ſumptibus parcētes, plura ſupereſſent, quæ pauperibus erogarent: neque jejunium fuit ſine eleemoſinâ. Cùm tamen liberaliorem cœnam commemoro, noli animo fingere apparatus illos & tumultus, & concurſationes, quæ in conviviis magnatum fieri ſolent: nam hęc jejuniorum diebus planè nulla fuere, etiam in potentiorum domibus. Imo Urbes ipſæ tranquilliores, & ſedatiores erāt his diebus, ita ut neſcio quid majoris ſauctitatis & religionis domus, plateæ, compita, fora, templa ſpirarent. Hæc me docuit S. Joannes Chryſoſtomus.

Sed non omittendum iſta jejunia, ſive feriarum quartæ & ſextæ, ſive alia, ab initio Eccleſiæ ſtationes vocata fuiſſe, ut ex Paſtore, qui fuit auctor primi ſeculi, clarè liquet, & poſt eum ex Tertulliano. An quod jejunia

ad frequentiùs & ſanctiùs orandum aſſumpta: ſtantes autem orarent? quod in ſemijejuniis verum quidem: ſed in prolixioribus minimè; nam in his genuflexi, vel procumbentes orabant: Certum eſt tamē à Gregorio Nazianzeno orationes, ſtationes fuiſſe appellatas, & tempus orationis, ſtationis tempus dictum: cujus ratio eſt, quia ſtantes oraverunt. Sed hoc non oſtendit quare jejunia ſtationes dicta fuerint. An quod ut S. Hieronymus innuit, velut in ſtatione adverſus hoſtem noſtrum Diabolum jejunantes componimur? fortiores enim ſe ad expugnandas diabolicas poteſtates exiſtimavere Chriſtiani, cum jejuniis armati ſunt. Et non nunquam fortiſſimi Chriſti athletæ, ut ad martyrium ferendum ſeſe accingerent & roborarent, ſuperpoſitis jejuniis ſeſe communierunt: erant autem ſuperpoſita jejunia, quæ uſque ad multam noctem, aut uſque ad diem alterum producebantur Quid ſi ratio hujus appellationis potius iſta eſt? Qui in militari ſtatione poſiti

erant, jejuni hoc officio functi ſunt, ne cibus ſumptus ſomnum provocaret: quod toti exercitui periculum, ipſi autem in ſtatione poſito mortem, aut exauthorationem attuliſſet. Quamobrem quâ die ad ſtationem ponendi erant milites, niſi ſtatione peractâ cibum non ſumpſere: hinc dies ſtationis, dies jejunii ipſis erat. Exindè primi Chriſtiani, quorum profeſſio ut militia quædam, & ab Apoſtolo, & à SS. Patribus tractata eſt, jejunia ſtationes vocavere. Verùm obtinuit tandem in Eccleſiâ, ut ſtationes dicerentur orationes illæ, quæ in conventu omnium die certâ, in loco ab Epiſcopo indicato celebrabantur. Quâ de re aliàs Deo dante. Redeo ad propoſitum.

Jam verò ſub veſperam, dum lucem accendunt, hanc beneficium eſſe à Deo maximum recordati, ad laudes convenere: & ſive id ex priſco ritu Gentilium manaverit, ſeu ab Hebræis, qui hac horâ lucem templum inferebant, ac lampades accendebant cum cāticis & hymnis, ſeu ipſimet

Chriſtiani hoc incœperint, certum eſt lucem, quâ in accenſis candelis utebantur, Deo obtuliſſe, laudibus ad id inſtitutis, ut Prudentius teſtatur. Nam initio Chriſtianæ religionis, viri pii ad omnia ferè diei opera hymnos edidere, quos poſteà SS. Hilarius, Prudentius, Ambroſius emendarunt. Concilia verò Pſalmos iis præferri voluerunt, Hymnis paucis retentis. Conſuetudo autem illa hymnos componendi, & ad omnia ferè canendi ab Eſſenis Joſephi, aut Therapeutis Philonis venit: ut apud illos authores videre eſt. Itaque ab hoc primorũ Chriſtianorũ ritu, veſperæ in Eccleſiâ decãtantur: fueruntque inter ſolẽnes preces præcipuæ, poſt ſacrum Miſſæ ſacrificium. Illarum autem celebratio de accenſione lampadum nata eſt: undè à Græcis λυχνικὸν dictæ ſunt, ac ſi latinè dicerem *Lucernarium*. Cur autem S. Baſilius & Gregorius Nyſſenus ejus Frater, & alii, hanc veſpertinam orationem Eucharistiã vocarint, dictu facile non eſt. An quod hac horâ olim Agapæ,

& divina Euchariſtia celebratæ ſint: innuunt Baſilius & Prudentius ſic vocari, quod ut dixi, in gratiarū actionē lucis à Deo cōtra tenebras cōceſſæ inſtituta ſit. Ac ſi effatum hoc veteris Pythagorici in animo habuiſſent Chriſtiani, ſi Deus corpore & animâ cōſtaret, lux corpus ejus, anima veritas eſſet. S. Ambroſius hanc horam vocavit *horam incenſi*. Ex quo conjicio eam apud Chriſtianos reſpondere ſacrificio veſpertino Hebræorum, in quo thus adoleverunt, & candelabri lampades accenderunt. In conſtitutionibus Apoſtolicis eſt *ſerotina Euchariſtia*, eſt *matutina*: ſed illic Euchariſtia pro oratione ſumitur. Undè orationes quibus oleū, & aqua, & alia benedicuntur, ibi vocantur Euchariſtiæ: quod Salmaſio erroris anſam præbuit: cum *ad Iulium Pacium* ſuſtinet iiſdem verbis & ritibus oleum, aquam, & fructus oblatos benedictos fuiſſe, quibus panis & vinū in Corpus & Sanguinem Chriſti conſecrantur. Erit alius eum refutandi locus. Verus ſenſus Con-

ſtitutionum Apoſtolicarum iſte eſt, quod orationes Chriſtianorũ omnes cum gratiarum actione fierent: quod ex S. Paulo ſumptum, & à S. Ambroſio confirmatum, cujus verba infra referam. Et hoc rationi valdè conſetaneum, ait enim Philo Judæus *Deo maximè proprium eſt benefacere; creaturæ, gratias agere.*

Die finito, antequam cubitum irent, ſimul tota familia convenere, & factâ cõfeſſione veniam culparum deprecati ſunt. Oratio Dominica altâ voce recitata fuit, ut ſic, & peccatores ſe, ac miſericordiâ egere recordarẽtur, inquit S. Auguſtinus, & mutuæ interſe reconciliationis admonerentur. Eâ enim conditione ſibi peccata dimitti petunt, ſi ipſi contra ſe peccantibus facilè cuncta dimittant. Ex hâc autem valdè antiquâ conſuetudine, altâ voce Dominicam Orationem recitandi, venit quod hodieque in Eccleſia diebus quadrageſimæ, in quibus de emẽdandis, & per nos ipſos ulciſcendis peccatis attentiùs cogitamus, hæc eadem oratio altâ voce pro-

nuntiatur: ut qui de peccatis ſuis ſunt ſolliciti, quid ſibi facto ſit opus ad veniam eorum impetrandam, intelligant. Verùm ſubolet mihi tum Orationis Dominicæ verbis, tum ejus clarâ pronuntiatione, majus aliquid nobis innui, quod noſtrates Chriſtiani nolunt videre, quia multùm à veterum moribus diſcrepant: à me tamen præmittendum non eſt, quia hoc argumentum, quod prę manibus eſt, illuſtrat. Voluit Chriſtus Dominus, & hoc optimè intellexere primi Chriſtiani, ut quemadmodum à Deo debita noſtra, quibus illi tenemur obſtricti, quæcumque illa ſint, petimus remitti, ſic etiam fratribus noſtris debita quæcumque remittamus: non illa tantùm quibus propter illatas injurias, ſed etiam illa quibus ob commodatam pecuniam nobis obligantur: ſi nempè ſolvẽdo non ſint, id eſt, ſi ſine familiæ gravi incommodo reddere nequeunt: non vult Chriſtus ut ſtricto jure cum illis agamus, aut litibus moroſis eos vexemus & laceſſamus. Confer,

Præsul illustrissime, verba hujus orationis Dominicæ cum iis, quæ Chriſtus Dominus ait Matthæi 18. ubi ſermo eſt de ſervo, qui cum multa debeat Regi, obtinet debiti remiſſionem, quia tunc non erat ſolvendo. Verùm cùm non eâdem benignitate uſus eſſet erga conſervum, caſtigatus & carcere incluſus eſt, donec ſolveret uſque ad ultimum quadrantem: & poſtea concludit Chriſtus. *Sic faciet Pater meus cœleſtis; niſi remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Quamobrem noverint Chriſtiani qui debita exigunt ſeverè admodum, nihil remittentes, nec ſibi à Deo debita quibus tenentur erga illum, remiſſum iri, ſed in loco ad id deſtinato pœnas daturos, donec omnia perſolverint. Itaque & libenter in omni bus rebus commodare petenti, & commodata repetere magnâ cum moderatione; imò quando ſine vexatione exigi non poſſunt, ea remittere jubet Magiſter noſter Chriſtus: niſi tamen caſtiganda, & excitanda eſſet debitoris ſocordia: qui cum ſolve-

re poſſit quæ debet; patientiâ & benignitate benefactoris ſui abutitur. Hanc ergò remiſſionem in eo cui debetur commendat Chriſtus, cùm debita ſine manifeſtâ vexatione exigi non poſſunt. Neque valet excuſatio quam hodie obtendunt multi, ſi paupertatis incommoda in ſe, aut ſuis timeãt, debitorem litibus urgere poſſe. Lex enim charitatis, quam Chriſtus ad mortem proficiſcens nobis præcepit, quæ Evangelii finis, & præcipuus Chriſtianorum theſaurus, iſta eſt: ſi paupertatis incommoda alterutri impendent, mihi aut tibi: malo mihi quàm tibi obtingere. Denique dare pecuniam petenti & indigenti ſpe lucri annui, & reditum ex datâ pecuniâ emergentem, cum manifeſto ejus detrimento, exigere ſine ullâ remiſſione, & à moribus antiquorum Chriſtianorum & ab Orationis Dominicæ, totiuſque Evangelii ſenſu penitùs abhorret: habebuntque exactores illi importuni rerum tantùm ſuarum ſatagentes, acerrimos cõtra ſe judices Ambroſium è Latinis,

Chryſoſtomum è Græcis in die magni judicii. Vereor ut contra tantos viros poſſint ſubſiſtere. Hæc mihi dicenda fuere PRÆSES SAPIENTISSIME, ut ritum illum primorum Chriſtianorum quot diebus clarâ voce orationem Dominicam recitandi illuſtrarem. Cùm illa hoc temporis in ore ſit omnium, nec ſatis intelligāt quod dicunt. Finitis orationibus, & datâ pace lectum petierunt. Et mediâ nocte, aut gallicinio ſurrexere, ut Deum orarent. Fuitque id moris Fidelibus tunc, ut niſi pervigiliis adeſſent in Eccleſiis, aut antelucanos cœtus, qui in cōmemorationibus annuis Martyrum celebrati ſunt, frequentarent, de nocte ſurgerent ad Deū orandum: indignum Chriſtiano judicantes, totâ nocte ſomno indulgere, & de Deo non cogitare. Hancque religioſam, nec illaudatam conſuetudinem de nocte ſurgendi, ut precibus vacent, commendant, extollunt, inculcant, non unus aut alter è patribus, ſed omnes ferè, qui ad quintum uſque ſeculum ſcripſerunt. Diu hæc

viguit apud Clericos & Monachos: & quamvis certum ſit, non ſine magnâ ratione hanc apud nonnullos obſoleviſſe, qui corporis incommoda quæ ex illâ piâ conſuetudine naſcuntur prætexunt, non ſentiunt cum Ariſtotele, qui in œconomicis libris ait, quod de nocte ſurgere, & ad ſanitatem confert, & rei familiari perquam utile eſt, & ſtudium ſapientiæ juvat. Eam ob rem nox Euphroſine dicta eſt, quod mens de nocte ſuis in meditationibus ſit liberior, alacrior, & perſpicacior. Quibus tamen utilitatibus non carent ii, qui uſque ad multā noctem vigilias protrahunt, & ſummo mane ad ſolita pietatis ſtudia exurgunt. S. Ambroſius non differt à nobis, cum quando & quoties ſit orandum præſcribit: ſed horas non deſignat. Satius erit verba ejus referre. *Certè ſolemnes orationes cum gratiarum actione ſunt deferendæ, cùm è ſomno ſurgimus, cùm prodimus, cùm cibum paramus ſumere, cùm ſumpſerimus, & horâ incenſi, cùm denique cubitum pergimus. Sed etiam in cubili tuo pſalmos cum*

Oratione Dominicâ frequenti iteratâ vice, vel cùm evigilaveris, vel antequam corpus ſopor irriget. Circa illa autem quæ hactenus dicta ſunt, duo occurrunt obſervanda. Primum, à communione orationū & menſæ excluſos fuiſſe illos qui domi erant vel cathecumeni, vel excommunicati, vel hæretici. Quod tamen cum quadam exceptione intelligendum. Nam Chriſtiana mulier cum viro Gentili comedit: & initio, Chriſtiani à Gentilibus vocati, cum iis manducavere, ut ex Apoſtolo manifeſtum. Et Principes ac Primores Eccleſiæ, menſæ ſuæ participes fecere nonnunquam illos, qui excludi debuiſſent, ut eos ad meliorem frugem revocarent. quod cùm liquidò enuntient conſtitutiones Apoſtolicæ, id etiam in S. Joanne Chryſoſtomo deprehendere eſt. Alterum quod obſervādum illud eſt: in illis diurnis & nocturnis orationibus, propinquorum & amicorum qui deceſſerant, memores fuiſſe: tum ut eos honorificâ commemoratione proſequerentur,

ſeque ſuavi illa cogitatione ſolarentur: tum ut precibus ſuis, ſi his indigerent, eos apud Deum adjuvarent. Hæc ex Sancto Ambroſio clarè elicere videor, cùm de obitu Valentiniani junioris loquitur.

Præter illa quæ ſtatis diei ac noctis horis in familiâ Chriſtianâ primorum ſeculorum peracta ſunt, quęque quâ ſanctitate vixerint Chriſtiani, facilè oſtendunt, id præterea ſedulò obſervavere, ut plurimum domi manerent, intra proprios penates concluſi. Et illic aut legunt, aut orant, aut pſallunt, aut exhortationibus vacant, aut manibus operantur: aut Presbyterum diſſerentem audiũt: nam Presbyteros apud ſe habere, & ab iis benedici, & doceri, plurimi faciebant. Quod ſi exeundũ, vel Eccleſias petunt, vel in noſocomiis ægrotis miniſtrant, vel in carceribus confeſſores, & martyres conſolantur, vel rei & ſaluti publicæ vacant.

Convivia inter ſe agitaſſe certum eſt, iis cum ritibus qui ante allati ſunt: his vocati

aderant: & ex Sancto Cypriano utcumque conjicio Presbyteros aut Diaconos affuiſſe. Cum enim divinum Corporis & Sanguinis Chriſti ſacramentum pręiret, niſi Presbyter, vel Diaconus ſaltem adeſſet, quo modo Sanguinis Chriſti fieret adminiſtratio: cum laïcis illum per ſeſe aſſumere, nunquam permiſſum fuerit: hę fuerunt cauſæ Chriſtianis domo exeundi, ut orent, ut opem ferant, ut mutuę amicitiæ dent operam; ſi Presbyteri ſunt, vel Diaconi, ut doceant, ut Sacramenta adminiſtrent. Cæterum ludòs fugerunt: choreas, & quæ multarum deliciarum comites ſunt, ſaltationes averſati ſunt, nunquam intempeſtivis conviviis interfuerunt, pervigilandi inſana dulcedo eis ignota fuit. Spectacula nulla adierunt, niſi fortè illa in quibus præclari Martyres, aut coram Imperatoribus ſiſtuntur, eoſque ſapientiâ & humilitate ſuâ confutant; aut carnificibus torquēdi traduntur, eoſque patientiâ ſuâ vincunt, aut cum beſtiis committuntur, & in

earum fauces ultrò prorũmpunt; aut cum flammis decertant, eaſque ambuſti ſuperant; aut rotis & equuleis imponuntur, eoſque cruciati derident; aut curribus vel equis diſcerpendi alligãtur, de quibus lacerati & cruore ſuo cõſperſi triumphant. Fuerunt hæc primorum Chriſtianorũ ſpectacula, quæ ubi deſierunt, ne tanta virtutis incitamenta cum illis deſiiſſe viderentur, quot annis acta Martyrum audire ad eorum tumulum geſtiebant, ut ſæpè ob oculos ſuos ponerent, quos fidei & ſpei ſuæ ſocios & fratres habuere, & eorum qui vitam propter Chriſtum ſpreverunt exemplis incenſi, vitæ ſaltem delicias, & oblectamenta contemnerent.

Dum verò domi continentur apud ſeſe, quid pater filiis, quid mater puellis narraret, quærendum non eſt: frequens divinarum Scripturarum lectio, divini Verbi aſſidua prædicatio, Martyrum certamina, quibus tunc univerſus orbis perſonabat, Chriſtianæ fidei rudimenta, propter quæ

cate-

catecheſes in Eccleſiis inſtitutæ, amplam illis diſſerendi, his addiſcendi materiam ſuppeditarunt.

Quæcumque in domo fuere, Chriſtianæ profeſſionis inſignia prætulerunt. Nihil exquiſitum in menſis, nihil in lectulis molle, nihil in veſtibus delicatum aut aſcititii coloris, aut è loginquis regionibus petitum, nihil in totâ ſupellectile ſuperfluum, nihil in ædificiis eminens aut ſuperbum. Non paterentur pii illi Chriſtiani domos ſuas Eccleſiis aut Altaribus, vel opulentiores, vel ſplendidiores videri. Et familiam cōpoſuere quidem parentes & liberi, domini & ſervi: hanc tamen diſcrepātiam ſic palam obſervavere parentes & domini, ut intra ſeſe juxta Apoſtoli mandatum, ſervos, & liberos, æquales ſibi aut fratres agnoſcerent. Tot autem inter virtutum exempla, & documenta domeſtica educati pueri & puellæ, extra mundi pōpam, cum ne vitiorum quidem nomina audirent, non dubium quin majorum ſuorum veſtigia

conſectarētur. Non omittam hic quod innuit Tertullianus, id etiā moris fuiſſe in familiis, ut paterfamilias jejunia indiceret, ſi nempe res quæpiam in domo urgebat, propter quam Deum ſibi placabilem reddendū intelligerent. Jejunium namque primis Chriſtianis veluti inſtrumentum fuit, quo adjunctis ut fieri ſolebat, oratione, & eleemoſinâ nihil non facturos ſe apud Deum exiſtimavere. Hortatur eoſdem S. Joannes Chryſoſtomus, ut voluntariis nonnunquam utātur caſtigationibus, longiore ſe jejunio condēnent, humi cubent, oblectamenta quæcumque reſpuant, & variâ, ac multiplici laborum tolerantiâ corpus affligant, & deprimant. Vult etiam, ut ſi quid gravioris momenti ſit, à Deo impetrādum, Sacerdotes vocent, qui precibus ſuis præſint, & pro ipſis ad Deum legatione fungantur.

Et hæ ſunt familiæ, Præses Illustrissime, quæ Eccleſiæ Prælatos doctrinâ & pietate celebres, Altaribus Prêsbyteros eximia ſanctitate ſpectabiles,

Chriſto Martyres dedere omni laude majores: ex quibus tandem Monachorũ diſciplina, religioſa vivendi conſuetudo, & inſtituta, magnam partem profecta ſunt. Vale.

Andegavi, è Monaſterio Omnium Sanctorum 10. *Kalend. Novembris, Anno D.* 1660.

Digitized by Google

EPISTOLA
AD
ILLUSTRISSIMUM
ET REVERENDISSIMUM D.
D. CÆSAREM
LAUDUNI CLAVATI
EPISCOPUM,
DUCEM ET PAREM
FRANCIÆ.

De Canonicis Cardinalibus.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. D. CÆSARI LAUDUNI CLAVATI EPISCOPO, DUCI ET PARI FRANCIÆ.

F. J. FRONTO, C. R.

IN eâ quæ nuper in Senatu Pariſienſi lite terminata eſt maximo tuo cum honore, Præsul Illustrissime, cùm Senatores integerrimi rationibus & momentis Advocati Generalis, Dionyſii Talæi Viri longè clariſſimi, potiſſimùm adducti, graviſſimo, celeberrimoque judicio Canonicis Eccleſiæ Laudunenſis omni animarum

Google

ILLUSTRISSIMO
ET
REVERENDISSIMO D.
D. CÆSARI
LAUDUNI CLAVATI
EPISCOPO,
DUCI ET PARI
FRANCIÆ.

F. J. FRONTO, C. R.

IN eâ quæ nuper in Senatu Pariſienſi lite terminata eſt maximo tuo cum honore, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, cùm Senatores integerrimi rationibus & momentis Advocati Generalis, Dionyſii Talæi Viri longè clariſſimi, potiſſimùm adducti, graviſſimo, celeberrimoque judicio Canonicis Eccleſiæ Laudunenſis omni animarum

regimine interdixere, difficultas exorta eſt, quæ S. C^to. alioqui ſanctiſſimo morã quãdam afferre videtur. Rectores nempe parochiarum Laudunenſium, cui Deo authore, præſides, VIR PRÆCELLENTISSIME, cùm reditu fruantur tenui admodum, alii ſeptem libras Turonenſes, alii quadraginta, non plus per annum percipientes, ſi aliundè non habent undè vivant, aut parochias deſerant, aut populis diuturno bello exhauſtis oneri ſint neceſſe eſt. Qua de re, cùm mecum ageres, dixi fuiſſe in Urbibus Canonicos Cardinales, quorum exemplum ſi Senatoribus proponitur, & maximè Advocatis Regiis duobus, qui ergà antiquam Eccleſiæ diſciplinam amorem ſuum palam profitentur, fieri poſſe ut ipſimet judicio ſuo quondam interponant exceptionem, quæ difficultatem illam elevabit. Hi ſiquidem Cardinales Canonici in Urbibus aut Suburbiis titulis gaviſi ſunt, & plebem ſubjectam habuerunt: neque propterea Canonicorum nomen aut locum

amiſerunt. Rogaſti ut rem hanc clarè tibi ſcripto exponerem, quod facturum me cùm ſtudioſè, tùm libenter recepi. Hanc itaque in Epiſtolâ quinam illi fuerint Canonici Cardinales Urbiũ declarabo.

Atque in primis diligẽter notandum, me in ſubciſivo hoc opere, quod paucarum horarum eſt, non aggredi Cardinalium in Eccleſiâ originem & diſtinctionem dare: longè iſtæc alia res eſt, quæque ſuo fortè loco tractabitur. Hìc Canonicorum tantùm Cardinalium mentio fit: plus enim ſatis erit hoc conſilio noſtro, ut difficultati quæ nata eſt, lucem afferat. Canonici Cardinales Eccleſiarum, fuere Preſbyteri vel etiam Diaconi Cardinales. Non enim qui Canonicum dicit, ſtatim Presbyterum aut Diaconum dicit: ſed quiſquis Canonicus Cardinalis eſt, eum eſſe Presbyterum aut Diaconum pro certo habendum. Videndum ergo primò quinam in Orbe Chriſtiano fuerint Presbyteri Cardinales, idem erit judi-

cium Diaconorum : fuere enim tituli Diaconorum, ſicut & Presbyterorum, ſervatâ tamen Ordinis eorum diſtinctione. Aio Presbyteros Cardinales eos fuiſſe qui apud veteres, titulis potiti ſunt : fuere Presbyteri uni loco affixi : hoc ſatis non eſt : addendum & plebem regendam habuiſſe : atque duo illa Presbyterum conſtituunt Cardinalē. Hoc clarè liquet ex duobus locis S. Gregorii Magni, quorum primus
Al. 84 habetur lib. 7. epiſt. * 85. ad Be-
Al. 6. nenatum Fundaritanum Epiſcopum, ubi ſic loquitur. *Ianuaria religioſa fœmina petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quod habetur in ſubditis. In maſſa Furiana juris ſui Oratorium ſe pro ſuâ devotione fundaſſe, quod in honorem ſanctorum Severini Confeſſoris & Iuliani Martyris, deſiderat conſecrari : ideò & Frater chariſſime, ſi in tua parochia memorata conſtructio conſiſtit, & nullum corpus ibidem conſtat humatum, perceptâ primitus donatione legitimâ, id eſt in reditu praſtante liberos à tributis fiſcalibus ſolidos decem, geſtiſque municipalibus * alligata* [ſic habent editi libri omnes. Sed quæ infrà

Eadem dicit S. Greg. l. 2. ep. 9 ubi error idem, ſed minus ferendus: legimus enim, geſtiſque muni-

ex Zachariâ ſummo Pontifice af-
fero, oſtendunt legendum *allega-
ta*, vel potius *allegatis*] *prædictum*
*Oratorium uſque Miſſis publicis ſolem-
niter conſecrabis, ita ut in eodem loco
nec in futuris temporibus baptiſterium
conſtruatur, nec Presbyterum conſtituas
Cardinalem. Sed ſi Miſſas ibidem fieri
ſupradicta conditrix fortè voluerit, à
dilectione tuâ noverit. Presbyterū poſtu-
landum, quatenus nihil tale à quolibet
alio Sacerdote ullatenus præſumatur.*
Aliud habetur lib. 8. ep. 3. ad
Fortunatum Neapolitanum Epiſ-
copum, in quo ſic ſcribit. *Frater-
nitati veſtræ eſſe non putamus incogni-
tum, quia Romanus clariſſimæ memoriæ
vir per ultimum ſuæ voluntatis arbi-
trium, in domo juris ſui Eccleſiam, quæ
in civitate veſtra ſita eſt ædificari de-
putavit. Et quia Deo volente defuncti
noſcitur voluntas adimpleta, ſanctitas
veſtra illuc ingravanter accedat, & ſi
nullum ibi corpus conſtat humatum, lo-
cum ipſum in honorem ſanctorum Her-
metis, Sebaſtiani, atque Cyriaci, nec
non & Pancratii ſolemniter ſtudeat
abſque Miſſis publicis cum veneratione
debitâ conſecrare, ita ut in eodem loco
baptiſterium nunquam conſtruatur, nec*

cipalibus alligatā, *neque eſt quo referas hunc caſum acuſativum*

Presbyterum conſtituas Cardinalem. Cum his duobus in locis baptiſterium fieri prohibet, Ecclesiam non vult eſſe cui plebs ſubjecta ſit: vocavere mediæ ętatis Scriptores ejuſmodi Eccleſiam *Plebaniam*, & ſimpliciter aliquando *Plebem*. Cum prohibet Presbyterum Cardinalem inſtitui, oſtẽdit Cardinalem eum eſſe qui uni loco addictus, Eccleſiæ plebem habenti præficitur.

Ad hæc S. Gregorii verba alludit procul dubio Zacharias ſummus Pontifex, qui ſedit anno DCCXL. obiit anno DCCLII. in epiſtolâ ad Domnum Pipinũ, cum nondum Rex eſſet, in quâ ſic habet. *Decimum quintum cap. pro eo quod interrogatum eſt de Laïcis qui Eccleſias in ſuis proprietatibus conſtruunt, quis ipſas debeat regere, aut gubernare. A ſanctis Patribus ita ſtatutum eſt, ut in præceptis Apoſtolicis continetur,* (id eſt, niſi fallor, in præceptis ſedis Apoſtolicæ) *juxta petitoris imploratum, ut ſi in quolibet fundo cujuſcumque juris Oratorium ſive Baſilica fuerit conſtructa, pro ejus devotione, in honorem cujuſcumque ſancti, in*

cujus Epiſcopi parochiâ fuerit fundatum Oratorium, aut Baſilica, perceptâ primitùs devotione legitimâ, id eſt præſtante tot, geſtiſque municipalibus allegatis, prædictum Oratorium per Miſſas publicas ſolenniter conſecrabis (legendum *conſecrabit*) *ita ut in eodem loco, nec in futuris temporibus baptiſteria conſtruantur, nec Presbyter conſtituatur Cardinalis. Sed & ſi Miſſas ibi facere maluerit, ab Epiſcopo noverit Presbyterum poſtulandum.* Nemo non agnoſcat hæc ex epiſtolis S. Gregorii magni eſſe deſcripta: haud ritus omnino iidem: quia ille *ſine Miſſis publicis* hic *per Miſſas publicas* vult fieri conſecrationem. Præterea, Presbyterum Cardinalem eum eſſe qui plebem regendam habet, demonſtrant verba ejuſdem Zachariæ in eâdem Epiſtolâ. *Nam & nos ab Apoſtolicâ authoritate ſubjungimus, ut Epiſcopus juxta dignitatem ſuam indumentis utatur, ſimili modo & Presbyteri Cardinales: & qui monachicâ vitâ velle habeant* (l. habent) *vivendi, plebi quidem ſibi ſubjecta præclariori veſte induti debitum prædicationis perſolvant: & in ſecreto propoſitum ſervēt ſui cordis, ut qui videt*

in abſcondito, reddat illis in palam. Manifeſtum hîc Presbyterũ Cardinalem eum eſſe qui plebem ſub ſe habet, cujus regimini vaçare debet.

Verùm inter illos Presbyteros, qui id nominis habuere, certum eſt illos qui in Urbibus & Suburbiis animarum regimini operam dedere, Cardinales præ aliis fuiſſe vocatos. Concilium Meldenſe anni 845. ſub Sergio II. Lothario Imperatore, & Carolo Calvo Francorum Rege, can. 54. *Vt titulos Cardinales in Vrbibus & Suburbiis conſtitutos Epiſcopi canonicè, & honeſtè, ſine retractione ordinent & diſponant.* Hoc etiam probant verba Zachariæ Epiſtolâ ſupradictâ. *Quartum capitulum de Presbyteris agrorum, quã obedientiam debent exhibere Epiſcopis, & Presbyteris Cardinalibus. Ex Concilio Neocæſarienſi cap. 13. ita continetur, Presbyteri ruri in Eccleſiâ civitatis Epiſcopo præſente, vel Presbyteris urbis ipſius, offerre non poſſunt, nec panem ſanctificatum dare, calicemque porrigere. Si verò abſentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, ſibi dare debebunt.* Clarum eſt ex his locis

Presbyterum Cardinalem, eſſe Presbyterum Urbis: & ſic ſe habet Presbyter ruralis ad urbicum ſive Cardinalem, quomodo Chorepiſcopus olim ad Epiſcopum.

In Florentinis inſtrumentis tomo 3. Italiæ ſacræ anni DCCCC-XXX. ſubſcribunt Canonici Cardinales. Quærebam olim à Jacobo Sirmundo S. J. Presbytero, viro doctiſſimo & optimo, meique amantiſſimo, quinam illi fuere Canonici Cardinales, reſpondit eos eſſe qui titulos in Urbe poſſidebant. Adverti tamen in inſtrumentis Florentinis anni MXXXVI. nullos ex iis qui ſubſcribunt dici Canonicos Cardinales: cujus alia ratio non occurrit, niſi quod illa fortè appellatio jam apud illos obſoleverat. Neque omittendum hic Canonicos Cardinales ſemper ſubſcribere poſt illos qui dignitate quadam fulgent: quod videre eſt in inſtrumentis Eccleſiarum Italiæ ſacræ, ſeculis X. & XI. & obſervavi in illis ſemper VII. aut VI. Canonicos Cardinales ſubſcribere. In quodam inſtrumento An-

geli Epiſcopi Troiani, qui ſedebat anno MXXVIII. ſubſcribunt, *Angelus Epiſcopus, Ioannes Archi-Presbyter, Rodolgrinus Archi-Levita, Laurentius Cardinalis, Conſtantius Cardinalis, Conſtantinus Cardinalis, Hermãnus Cardinalis camerarius.*

Sed ſi animum advertimus ad ea quæ ſcribit Joannes Jacobus Chiffletius Veſuntionis ſuæ par. 2. ad annum MXLIX. plura nobis de his Cardinalibus ſunt dicenda: Sic enim habet monumẽtum vetus, quod profert, in quo agitur de quodam altari quod Leo IX. conſecravit. *Statuit quoque (Leo IX.) ut VII. de Canonicis ipſius loci eligerentur, qui Cardinales vocarentur, qui cum dalmaticâ, mitris, ſandalis, chirothecis ad altare illud ordinati, Miſſas ibi facerent: quorum unus loci illius Decanus, annulo etiam ad Miſſarum ſolemnia uteretur. Sine dalmaticâ autem nunquam ibi præſumat ſacrificare, Qua tamen nullus utatur, niſi cui tempore Ordinationis ſuæ, vel Apoſtolicâ ſede poſtea fuerit ſpecialiter indulta. In feſtivitatibus autem omnibus Domini & Salvatoris noſtri Ieſu-Chriſti, & ſanctæ Dei Genitricis, &*

omnium Apoſtolorum & Sanctorum Martyrum Stephani, Vincentii, Agapitii, Ferreoli, & Ferrucii, & ſancti Archangeli Michaëlis, & Dedicatione ejuſdem loci, & feſto omnium Sanctorum ſandaliis, mitris & chirothecis tam Sacerdotem quam Diaconum & Subdiaconum uti præcepit, ſicut & in cæteris prohibuit diebus. Quæ porrò difficultas naſcitur ex epochâ hujus Pontificis, qui nonniſi anno Chriſti MCLIX. conſecratus eſt, & tamen anno MXLVIII. prædicta ſtatuiſſe dicitur, ſolvit ibidem Chiffletius. Itaque ut hæc cum eis quæ antè dicta ſunt, concilientur, ſic intelligenda exiſtimo, ut illi VII. Canonici Cardinales vocati ſint, quaſi Canonici majores & præcipui, qui illi altari deſerviendo per vices addicti erant. Ut verumſit Cardinalem tam in Canonico, quam in Presbytero quocumque, qui id nominis habet, à titulo cui alligatus eſt, ſic appellari.

Supereſt ut tam Presbyterorum quam Cardinalium munus in illis titulis, ſive Eccleſiis, aut Altaribus quibus addicti ſunt,

proferam. Et quidem ex S. Gregorii magni epiſtolis conjicere poſſumus ad Miſſas celebrandas, & Sacramentum Baptiſmi adminiſtrandum Presbyterum Cardinalem inſtitutum fuiſſe. Quamquam extra Urbes Baptiſmus illis temporibus conceſſus non eſt, niſi urgeret neceſſitas. In Urbibus autem tempore tantum Paſchatis, & Pentecoſtes, uno in loco datus eſt ab Epiſcopo, ſive ab iis qui pro illo agebant, niſi ut dixi neceſſitas aliud exigeret. Licet enim plura eſſent baptiſteria, (ut Romæ plura fuiſſe, etiam in primis Eccleſiæ annis, dubitare non poſſumus,) tamen non niſi in uno illorum, ubi ſc. indicata fuerat ſtatio, Baptiſmus aptis & ſolemnibus anni temporibus celebratus eſt. Sed modò in illo, modò in iſto ſtatio indicata fuit. Baptiſteria autem non longè ab Eccleſiâ matre, vel ab Eccleſiis majoribus ædificata ſunt. At ex Zachariâ ſummo Pontifice conjicere poſſumus munus Cardinalium illorum fuiſſe Divini Verbi prædicationem. Sed monebat me

olim clariſſimus Hieronymus Bignonius, Vir æternâ memoriâ dignus, in primoribus Eccleſiæ ſeculis, nec Miſſam ſine prædicatione divini Verbi fuiſſe. Agebamus tunc de illo loco Firmiliani ad Cyprianũ ſcribentis, in quo ſic loquitur, *Vt invocatione non contemptibili ſanctificare ſe panem, & Euchariſtiā facere ſimularet, & ſacrificium Domino ſine ſacramento ſolitæ prædicationis offerret*. Ex his inquam non ſine fundamento exiſtimavimus Miſſam cum prædicatione fuiſſe cõjunctam. Non enim probabat ſe correctio nonnullorum, qui legendum putant *ſine ſacramento ſolitæ precationis*. Itaque Miſſæ celebratio genus quoddam prædicationis fuit: atque adeò cum Zacharias munus Cardinalium intra ſolam prædicationem circumſcribit Miſſæ Sacrificium non excludit. Quoad Sacramentum Pœnitentiæ non exiſtimo tunc temporis, in minoribus illis Eccleſiis quæ nunc parochiæ dicuntur, adminiſtratum fuiſſe. Sed quemadmodum ritûs illius diverſi fuere ab iis qui hodie obtinue-

runt, ita etiam miniſtri illius ſub Epiſcopo alii exſtitere. Quoties ſe peccatores premi criminibus ſenſere, majores petivere Eccleſias, cum ut pœnitẽtię alligarentur, tum ut abſolverentur, niſi Epiſcopus alias indicaret Eccleſias, ad quas convenirent, illicque miniſtros deſignaret, qui hoc officio fungerentur, quod aliquando uſitatum fuiſſe memini. Sed nec divina Euchariſtia ſẽper illis in minoribus Eccleſiis quæ parochiæ vocantur populis data eſt: illis inquam temporibus, in quibus Presbyteri Cardinales floruere. Cujus ratio hæc eſt. Quarto ſeculo ſolebant Chriſtianorum plerique omnes communionem percipere diebus tantum feſtis majoribus, ut ex SS. Ambroſio & Chryſoſtomo manifeſtum. Atqui diu majores illi dies feſti celebrati ſunt majoribus in Eccleſiis præſente Epiſcopo, ut ex Conciliis Galliæ, & ex capitulis Regum noſtrorum demõſtratu facile eſt. His ergo in locis ſumpta eſt à Fidelibus Euchariſtia. De extremâ unctione hoc

certum, ab majorum Eccleſiarum miniſtris petitam, & adminiſtratam fuiſſe: cujus conſuetudinis in multis Galliæ Urbibus, veſtigia hodieque remanet. Quod ad matrimonium attinet, licet authoritate Epiſcopi, per ipſum vel per Presbyteros initum fuerit, haud tamen certum ſcire poſſumus, an in Eccleſiis olim, an in domibus privatorum, vocatis Presbyteris celebratum ſit. Atque ut Ordinationes ſacras non prætermittã, hę ex lege Eccleſiaſticã, in loco publico ab Epiſcopo deſignato, coram præsẽte, conſentiente & orante populo, concurrente & miniſtrante Clero, diebus ſolemnibus peractæ fuerunt, niſi privilegio ſpeciali certæ Monachorum, aut Canonicorum congregationes ab hac lege eximerentur.

Quod ſi hæc ita ſe habent, definire poſſumus ad quem uſum Eccleſiæ minores ædificatæ ſunt. Hæ quippe extitere duplicis generis, vel plebem habuere, vel ſolitariæ ſine plebe fuere. Ut de poſtremis his loquar, aliquando

in iis Miſſę celebratę ſunt, à Presbytero qui ab Epiſcopo poſtulatus & datus eſt. In aliis Eccleſiis certis diebus Verbi Divini prædicatio, ſacrarum Scripturarum Lectio, & Miſſæ celebratio peracta eſt à Presbytero Cardinale, id eſt illi Eccleſiæ addicto, & in caſu neceſſitatis Baptiſmus conceſſus eſt. In utriſque autem horæ Canonicæ recitatæ ſunt: ſed huic officio ſatis erat quod Clerici minores, unus aut alter deputarentur, niſi monachi vicini penſum hoc divinum & nocturnum perſolverent. Majorum namque Clericorum, Presbyterorum inquam & Diaconorum hoc munus non fuit, cœteroqui ſanctiſſimum, & Angelis dignum, ut ex Gregorio magno diſcimus. Quin mane & veſpere preces Deo fuſæ fuerint in illis Eccleſiis quæ plebem habuere, nullus dubito præeunte loci Presbytero. Id certè S. Joannes Chryſoſtomus diſertè aſſerit de Eccleſiis quę in agris ſitę erant. Ex his apparet quodnam fuerit munus Canonicorum Cardinalium in illis Eccle-

ſiis & titulis quibus affixi fuerũt. Quod ſi in quibusdam Eccleſiis præpoſiti fuere Clerici minimè Presbyteri, hi ſacris tantum Lectionibus præerant, & precibus quæ in commune fundebantur, & quiſque pro gradu ſuo miniſtrabat. Videnda eſt Vita S. Pachomii, cap. 26. in Concilio Eliberitano anno CCCV. can. 77. legitur *Diaconus regens plebem*. Et in Gregorio Turon. lib. de gloriâ Confeſſor. c. 30. Cantinus qui poſtea fuit Arvernæ Urbis Epiſcopus, *in Diaconatu ſuo Eccleſiam Vici illius rexit*. Sed de hoc aliàs.

Fieri poteſt ut Canonici Cardinales fuerint ii non ſolùm qui titulis in Urbe, aut Suburbiis gaudebant, ſed etiam illi qui diebus celebrioribus, cum populus in majoribus Eccleſiis conveniebat ad ſtationem cum Epiſcopo, vel pro eo, quamquam illo præſente agebant, & divinis rebus vacabant. Et hi VII. numero fuere qui tanquam VII. Spiritus de quibus in ſacrâ Scripturâ mentio fit, Pontifici aſſiſtebant, ut myſteriis noſtris majeſtatem quandam

conciliarent. Quamquã qui hodie, in majoribus feſtis diebus Pontifici ſacrum facienti aſſiſtunt, Presbyteri ſunt titulos Urbis vel Suburbiorum habentes, qui & nonnullis in locis Cardinales dicuntur.

Ex his videre eſt, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, olim Canonicos ſine loci & dignitatis ſuæ detrimento, animarum regimini intra Urbem aut ejus Suburbiis vacaſſe. Nunc cum multo plura incumbant parochiis quàm olim, non ſine causâ munia illa diviſa ſunt, ne locus daretur Clericorum avaritiæ, quâ in Eccleſiâ nihil peſtilentius eſſe poteſt. Ubi tamen minores Eccleſiæ Urbium non habent unde Presbyterum ſuum alant, videtur quod majoris eſt Eccleſię & matris omnium illis miniſtros dare de gremio ſuo. Ut dum illi laudes, hi animas Deo offerunt, unum opus omnes una mente, ſub uno capite Epiſcopo peragant. Aliquid ſimile Cõſtantinopoli uſitatum, ex Novellâ III. Juſtiniani diſcimus. Itaque nihil erit inſolens ſi excluſo

avaritiæ periculo id hodieque uſurpatur. Neque duabus Eccleſiis ſervire idem Clericus dicitur, quod vetant canones. Id enim duas ob cauſas prohibitum, & ne duabus ſufficere non poſſit, & ne turpi lucro inhiare cenſeatur. Quæ duo incommoda vitari poſſunt, adhibitis iis conditionibus, quas è re Eccleſiæ & totius Diœcêſis ſuperiores eſſe judicabunt. Vale.

Datum Pariſiis in Monaſterio S. Genovefæ Nonis Ianuarii anno 1661.

EPISTOLA

AD

CLARIS. VIRUM D.D.

I. LE REBOVRS.

IN CURIA RATIONUM FISCI

INTEGERRIMUM

SENATOREM.

De Signo ſanctæ Crucis.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLARISSIMO VIRO DOMINO D. J. LE REBOURS, IN CURIA RATIONUM FISCI INTEGERRIMO SENATORI.

F. J. FRONTO C. R.

NUper cùm in Monaſterium S. Genovefæ Pariſienſis te recepiſſes, VIR CLARISSIME, ut dolorem de amiſsâ dilectiſſimâ, & optimâ conjuge concoqueres, & antiquorum tuorum ſodalium, qui illic multi ſunt, colloquiis animi mœrorem longè maximum levares, adfui ego quoque, Tibi penitus non ignotus, ut unà cum aliis afflictum conſolarer. Dumque in eo

incumbo, ut cogitationes tuas à doloris cauſâ abducam, alioque avertam, incidimus in ſermonem *de Signo Crucis*, quanti nempe illud fecerint veteres Chriſtiani, quamque ſæpe uſurpaverint, ambo diſſeruimus. Commodus autem viſus eſt ſermo iſte, & aptiſſimus ad leniendum dolorem tuum, qui Crucis D. N. J. C. ejuſque cruciatuum memoriam revocabat. Nulla enim triſtitia mentis eſt, quæ ad tanta nomina (Crucis inquam & mortis Chriſti) non evaneſcat aut non minuatur. Conquieſcendum eſt in Cruce Chriſti, in quo, ut loquitur Eſaias Propheta, *Langores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*. Et hoc genus conſolationis, uti Chriſtianis proprium eſt, ſic & quodcumque aliud ſuperat, quod vel ratio adinvenire, vel conſummata hominum ſapientia ſuggerere poſſet. Nihil ei quicquam ſimile, aut Seneca protulit, aut Cicero expreſſit cum amicos conſolantur.

Cap. 53.

Mirabamur autem quî factum ſit ut ſalutis noſtræ ſignum, cui

cœlum & terra, cui ſydera ipſa reverentiæ ſingularis teſtimonia exhibuere, hæretici noſtrorum temporum tanto habuerint deſpectui, ut illud projicerent, conculcarent, execrarentur. Quodnam evidentius argumentum eos à Chriſto crucifixo alienos eſſe, quàm quod ab ejus Cruce abhorrent? Et quid eſt, niſi hoc ſit Judæorum impietatem, & Gentilium furorem imitari, qui Crucem *in cæremoniis* Chriſtianorum uſitatam, tanquam *ferale ſignum* habuere, ut teſtatur Minutius Fœlix. Et verò, Vir clarissime, quamobnam causam ſive Iudæi ſive Gentiles ab hoc (ut loquuntur) *ferali ſigno*, nobis autem ſalutari, oculos avertant, niſi quia fieri non poteſt, ut cum in oculos Crux incurrit, Chriſti crucifixi animum illicò non ſubeat cogitatio. Eſt autem Chriſtus crucifixus *Gentibus quidem ſtultitia, Iudæis autem ſcandalum.* Crucem itaque fugiunt illi ſoli qui de Chriſto crucifixo nolunt cogitare. Quid enim aliud (inquam) venit in mentē, cùm ſignum Crucis oculis

Pag. 12. editionis Rigaltii.

obverſatur, & ſive ſtanti ſive ambulanti objicitur, niſi Jeſum-Chriſtum in hoc ſigno pro ſalute humani generis mortem ſubiiſſe? quâ ſanè cogitatione nihil ſanctius, nihil utilius, nihil ad corroborandum hominem, nihil ad mitigandos quoſcunque dolores, nihil ad virtutem accendendam, aut ad fugandos dæmones fortius eſſe poteſt.

Sed aiunt iidem illi hæretici, ſe iccircò ſignum illud expuere, quod mortem Chriſto Domino attulerit. Verùm eâdem operâ & vitam nobis protulit. Quis (inquiunt) amplectatur id quod Patri & Domino noſtro tot peperit cruciatus? Sed quis non amplectatur id quod nobis tantam ſalutem, & immortalem gloriam peperit? quod Dominum in Patrem, Iudicem in Redemptorem commutavit? ſimul ignominiarum & gloriæ Chriſti, ſimul victoriarum & dolorum; triumphi æquè ac mortis ejus ſignum eſt; atque adeò omni ratione colendum. In eo quidem ex hoc mundo ejectus eſt Chriſtus, tanquam

qui viveret indignus; at in eo quoque univerſo mundo donatus eſt Chriſtus tanquam qui in eo regnaret digniſſimus. In eo ſe à Patre derelictum exclamavit, ſed non dubito quin ſtatim in eo audierit ab eodẽ Patre, *Filius meus es tu, ego hodie genui te: & dabo tibi gẽtes hereditatẽ tuam, & poſſeſſionẽ tuam terminos terræ.* Quis, aiunt, filius patris vincula & carcerem & patibulum, quibus vita ei ablata eſt, æquo fert animo? Nullus certè, ſi propter crimina ſua hæc paſſus eſt: ſed ſi pater ille pro patriâ, pro fide, pro amicis, vincula & carceres & mortem tulit, quis filius ea non exoſculatur, non extollit, non ab omnibus colenda exiſtimat? Pluris catenas Petri fecit Ioannes Chryſoſtomus, quàm Regum & Imperatorum diademata. S. Babylas martyr tanti vincula ſua æſtimavit, ut ea ſecum ſepeliri voluerit, uti narrat D. Chryſ. parum fuit illi pro Christo mori, niſi & vinctus tumulo donaretur, & maximi ſui erga Chriſtum amoris monumẽtum, catenas ſcilicet & compedes

Pſal. 2.

S. Ioan. Chryſ. 3. ep. ad Epheſ. hom. 9.

Epiſt. 12. in corporis ſui monumento includeret. S. Paulinus lignum Crucis quod à Melaniâ acceperat, cum reliquiis Martyrum condidit his cum verſibus:

Quàm benè junguntur ligno Crucis oſſa piorum.

Pro Cruce & occiſis, in Cruce ſit requies.

Dixi Crucem quam deteſtantur adverſarii noſtri, cœlum ipſum, & ſydera ejus reverita fuiſſe. Cap. 15. Narrat S. Matthæus Evangeliſta cum Chriſtus Dominus in Cruce ſpiritum exhalavit, Solem obducto velo radios ſuos ſubtraxiſſe. Quâ in re Chriſtum morientem Sol adoraſſe videtur. Sic enim veteres numina ſua venerati ſunt: ſed præterea Sol tenebras paſſus, Cruci locum ceſſit, tanquam illi quæ deinceps novo, & excentiore lumine Orbem eſſet impletura. Agnoſcit futurum ut ea ſit ſydus multò fulgentius, quod radios ſuos emittet in eas etiam Terrę partes, quas non niſi rarò ipſe, nec niſi tenui luce colluſtrat, nec ampliùs de ſe, ſed de Cruce dictum ſit, *Cæli* eſſe

gloriam, quomodo eam vocat S. Paulinus. Quod non pium tantùm commentum eſt, ſed ex hiſtoriâ deſumptum. Scribit Euſebius Cæſarienſis vitæ Conſtantini lib. 1. quod cum placuit Deo Imperatores fieri Chriſtianos, ut tandem de toto Orbe Crux triũpharet, ſupra Solem, meridiano circiter tempore, Crux luce admirabili fulgens, vel potius tota ex luce conflata, Conſtantino apparuit, iſtâ cum inſcriptione, *Hac vince*. Hoc phænomenon, ſi diligenter cùm Aſtrologi, tum Chriſtiani advertunt, multa nos docet, multa portendit. Nam in primis Crux in cœlo apparet, ut illic ubi Crucifixus triumphat, ſuâ potiri dignitate intelligatur, & quam à domibus excluſere hoſtes ejus, in cœlo locum habere conſtet. Sed ſupra Solem poſita conſpicitur, ut omnium rerum quæ ſunt in hoc mundo ſenſibus ſubjecto, nihil Cruce excelſius, nihil ſublimius eſſe putemus; Solemque ipſum eâ minorem agnoſcamus. Plura namque operata eſt virtus Crucis, quàm

carmine 26.

c. 26.

lux Solis, & ab altiore ac diviniore principio illa quàm iſta deſcendit. Sed nec potuit Crux in cœlo videri fulgida circa meridiem, niſi tanta lux eſſet ejus, ut lucem Solis vel obſcuraret vel multò ſuperaret: & tamen cum tanta eſſet lux illa Crucis, oculos vidētis eam non perſtrinxit, quin oraculum victoriæ in eâ exaratum facillimè legeret. Neque ſemel tantùm Crux in cœlo apparuit, & luce effulſit. Cum enim permiſſu Juliani Imperatoris ad templum inſtaurandum ſeſe Judæi accingerent, Crux in cœlo luce magnâ circundata, & coronata viſa eſt, quæ illos à propoſito deterruit, teſte Gregorio Nazianz. & quæ in veſtimentis impreſſæ viſæ ſunt. Cruces circa tempora Joannis Chryſoſtomi, de quibus ipſe loquitur, fulgore quodam reſplenduerunt. Qui ad tantam Crucis lucem cæcutiunt, hi non ſecus in fide ac degeneres aquilæ ſunt cenſendi. Hoc ſigno armatus, & communitus Conſtantinus hoſtes ſuos, hoc eſt fidei Chriſtianæ hoſtes devicit, idola

Orat. 11. contra Jul.

In Pſal. 110.

proſtravit, dæmonum templa evertit, Chriſtianum nomen florentiſſimum reddidit, & quò inimicorum Crucis quotquot fuerant, quotquot futuri erant contumaciam ac rebellionem perfringeret, Crucem tanquam νικί-τικὸν τρόπαιον, ut ait Euſebius, ubi terrarum cumque eſſet, circumtulit, Romæ illi nobile agalma erexit, ſicut idem refert; ut inde ſcilicet toto Orbe regnaret, tabernaculum ei extra caſtra fixit, ubi puras & caſtas ad Deum preces funderet. Denique ſuo in palatio Crucis effigiem ex auro & lapidibus elaboratam præfigi voluit: ut adverſus humanos hoſtes ſatellitio humano cinctus, hoc cœleſti munimento *contra ſpiritales nequitias, & aëreas poteſtates* tutus degeret. Auſi ſunt Calviniani Crucis adoratoribus objicere, illos eſſe Idololatras. Hoc ſi ita habet, Cōſtātinus, qui non priùs fuit Chriſtianus, quàm Crucis adorator, non tam idola evertit quàm mutavit: & dum adverſus idololatras acriter decertat, ac Chriſti fidem ſtabilit, factus eſt ipſe ido-

L. 1. vitæ Conſtant. c. 37. c. 40.

Idem l. 111. c. 49.

lolatra inſignis. Hoc quis credat? id tamen dicant Calviniani neceſſe eſt.

Sed Crux Chriſti trecentos annos & ampliùs in terrâ latuit defoſſa, toto ſcilicet illo tempore quo Chriſtus Dominus in membris ſuis paſſus & vexatus eſt, magno procul dubio divinæ Sapientiæ conſilio, ne ſi in manus infidelium Crux veniſſet, eam flammis tradidiſſent, aut aliò tranſportaſſent, ne tanto unquam theſauro frueremur. Et verò ſatis Chriſtiani patientiâ, exiliis, ſpoliationibus, morte ſuâ eam exprimebant. Dum viget in fidelibus, dum in animis illorum vivit, in corporibus autem ſentitur, non opus eſt exteriore illo monumento. Sed (ut ait Conſtantinus Imperator) cùm fides Chriſti cœpit palã illuceſcere, liberè prędicari, & toto Orbe regnare, cum perſecutionum æſtus deferbuere, ne inter proſpera & tranquilla fidei incremẽta, Crucis memoria evaneſceret aut in mente Chriſti Diſcipulorũ marceſſeret, ea è terrâ curâ Helenæ

In epiſtol. quam refert Sozõ.

piiſſimæ Imperatoris matris effoſſa eſt, tunc cùm ejus repreſentatio ſæpius ante à Chriſtianis uſurpata, jam in Regiâ locum habebat, jam in Urbe velut ornamentum maximum erecta fuerat, jam ſua tabernacula poſſidebat, jam aquilis militaribus feliciter ſucceſſerat, jam tanquam decus Orbis, & victoriarum parens celebrata fuerat, & à locis ſuppliciorum ad frontes Imperatorum tranſierat, tunc inquam è terrâ emerſit, & ipſamet oculis hominũ apparuit ſanguine Chriſti tincta & ſacro corporis ejus cõtactu veneranda. Et quo divinâ & incorruptâ ſe virtute pollere oſtendat, Jeroſolymis poſita, integra manens, avulſis à ſe particulis Orbem implevit: lignum ſuum votis ſupplicantium abundè ſuppeditat, & tamen velut intacta viſitur & adoratur, ut diſertè teſtantur ſancti Cyrillus Jeroſolymitanus, & Paulinus.

S. Aug. in Pſal. 36.

S. Chryſ. to. 6. opuſc. ſerm. de Pẽt.

S. Cyr. cat. 4. to. 13.

Nec omittendum Infideles eo in loco ubi Chriſtus crucifixus eſt, in opprobrium Crucis, propudioſam Veneris ſtatuam collo-

S. Pau. Ep. 11. quæ eſt ad Se- ver.

caſſe, ut ſcilicet Crucis memoriã perpetuâ oblivione ſepelirent. Quã in re, VIR CLARISSIME, Gẽtibus noſtrates Hæretici quàm ſimillimi fuere. Crucem eſſe ſymbolum mortis, ſed vitalis, hoc eſt vitam afferentis; Venerem autem ſymbolum eſſe vitæ, ſed mortalis, id eſt ad mortem perducẽtis, nimis quàm manifeſtum eſt. Crux itaque eandem infidelium operâ ſortem ſubiit ac ipſa fides, cujus vexillum eſt, ut nimirum probris, contumeliis, & omni genere injuriarum afficeretur, propoſitâ ejus loco infami Venere. Quos probè imitati Calviniani, poſtquam Crucem à domibus & templis, & ab omnibus locis, quoad eis licuit ejecere Virginitati Crucis amicæ bellum indixerunt: puellas ſuas Virginum nomen profiteri prohibuere, ne flos ille longè pulcherrimus inter ſpinas & tribulos naſci videretur. Hanc à Sacerdotibus amandari voluerunt, imò unà cum illâ ſacerdotium ſuſtulerũt, ac ſi tria hæc Crucem, Virginitatem, & Sacerdotium,

maximam inter ſe cognationem habere ſenſiſſent: quia fidem noſtram conjunctim & concurſu quodam exornant, ſtabiliunt, tutantur, adminiſtrant: Uno verbo quæ hæreſis ſuſtulit Virginitatẽ, ea ſuſtulit & Crucem; & hoc nihil aliud eſt quàm ablatâ Cruce, Veneris ſtatuã ejus loco erigere.

Sed minimè levi manu tractanda eſt cognatio illa, quæ Virginitatem inter & Crucem apud Fideles interceſſit, quam ſæpius commendant ſancti Patres, quæque in eorum ſententiâ tanta eſt, ut Virginitas nulla ſit, quæ Crucis ſocia non eſt, quæque illam non amplectitur, non colit; hoc eſt, (ut ſine ullâ verborum ambage loquar) Virginitas quæ comites non habent paupertatem, vel largas ſaltem eleemoſynas, frequentes orationes, vigilias, lachrymas, ſuſpiria, jejunia ferè continua, haud magni æſtimanda eſt. Virginitas compta & exornata, hilaris & bellula, quæ bene olet, eleganter diſſerit, longa trahit ſyrmata, pulchrè incedit, oculis loquitur, vultu placet, for-

des refugit, Chriſtiana non eſt: ſed mundi peſtis, inferni præda, ſponſa dæmonum dicenda eſt. Hujus porrò cognationis Virginitatem inquam inter & Crucem origo non malè repetitur ab eo quòd Chriſto Domino in Cruce moriente adfuit ſanctiſſima Virgo, quæ aliis poſt ſe ad caſtitatē præferendam facem præluxit, ut affinitatem nempe cum Cruce contraheret. Ambę certè Crux & Maria Chriſtum tulere: ambæ amplexatę fuere; hęc mortalem, illa morientem; hæc paſſurum, illa patientem; hæc genus humanum redempturum, illa redimētem: & quod Virgo inchoavit, hoc Crux perfecit. Quod ſi ab alterâ vitam, ab alterâ mortem recepit, haud propterea diſpares dicendæ, nam & vita illa mortē, & mors illa vitam peperit. Utrique verò Chriſtus Dominus, Matri nempe & Cruci integritatem admirabilem conceſſit: nam & mater Virgo permanſit, & Crux (ut ante dixi) licet in communicatione ſui minimè parca & ſterilis, integra ſemper & velut

intacta Ieroſolymis viſa & adorata eſt. Quid propinquius, quid conjunctius hâc Cruce, hâc Virgine? Ad hanc quoque affinitatẽ *Expoſ-*
pertinet quod S. Epiphanius de *fidei.*
Virginitate dixit eam eſſe κρηπῖδα *Cat.*
& fundamentum omnium myſte- *n. 21*
riorum quæ in Eccleſiâ celebrantur: quia Sacerdotes, qui procul dubio totius religionis & ſanctitatis miniſtri ſunt & antiſtites ac veluti parentes, κατὰ τὴν ἀκρίβειαν τοῦ κανόνος ex Virginibus deſumun-
tur & eliguntur. Atqui hoc ipſum *Ep.*
de Cuce aſſerit S. Paulinus & vo- *11.*
cat hanc Sacramentorum cauſã. *carm.*
Fons gratiarum eſt, virtutũ ſcho- *26.*
la, doctrinæ chriſtianę cathedra, paleſtra certantium, victoriarum parens, Cœli ſcala ſine quâ nullus ad gloriam aditus eſſe poteſt. Crux itaque & Virgo, utraque mater, hæc Redemptoris, illa redemptionis. Qui Virginis & virginitatis cultores ſunt, Cruci quoque adhæreant, neceſſe eſt. Nam & hæretici utrique ſimul honorẽ adjudicarunt, quaſi neutram ſine alterâ retineri poſſe ipſimet agnoſcerent.

Tempus eſt ut quis uſus fuerit *Signi Crucis* apud veteres Chriſtianos clarè hic oſtendam. Solent jactitare Hæretici ſe Eccleſiæ quatuor primorum ſeculorum conformes eſſe, quàm peſſimè hac in re auditoribus ſuis illudāt, ex iis quæ ſequuntur demonſtrabo : & eodem pacto conſilio Cyrilli Ieroſol. obtemperabo, qui vult in certaminibus quibus cum Fidei adverſariis congredimur, ut ſignum Crucis præmittamus, quo ipſi obmuteſcant. Videant ergo Calviniani quid hiſce reſpondeat. Tertullianus ait, *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum atque exitum, ad veſtitum, ad calciatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quocumque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus.* Alibi oſtendit ſolere Chriſtianos *lectulum & corpuſculum ſuum ſignare.* S. Ephrem vult ut *vice ſcuti, Crucis ſigno muniamur, ſignantes eo membra omnia & cor noſtrum.* S. Hieronymus Epiſt. 22. c. 16. *Ad omnem actum, & ad omnem inceſſum manus pingat Cruc̄.* Eam ob rem Gregorius Naz.

Catheeh. 13.

c. 3. de coron.

L. 1. ad ux. c. 3.

to. 2. l. de Panoplia ſpirituali.

Crucis τρόπαιον vocat ἀήττητον. Et Or.
S. Athanaſius in vitâ S. Antonii, 42.
ait quod, *ubi Crux eſt, ibi magia vires amittit, & veneficium inefficax eſt.*
Cyrillus verò Ieroſol. hanc ait Ca-
morbos curare, dæmones expellere, ve- tech.
neficiorum incantationumque impoſtu- 13.
ras avertere. Et ex S. Gregorio carm.
Naz. diſcimus quòd *ſolo Chriſti no-* 61.
mine invocato vel ſigno Crucis facto fugãtur dæmones. Narrat Gregorius Nyſſenus in vitâ Gregorii Thaumaturgi, hunc in templum idolorum ingreſſum, à dæmonibus pollutum aëra ſigno Crucis purgaſſe, & ſæpe eodem ſigno dæmones profligaſſe. Quidni templum ex contaminato ſanctum redderet Crucis ſignum quod univerſum mundum olim dæmonum regnum purgavit. Sed cum ad ſignum Crucis terrẽtur dæmones, quod hîc teſtãtur manifeſtè ſancti Patres, ſe ſignum Crucis dæmones revereri oſtendunt: contra quàm facere ſolent Hęretici. Idem ſanctus Gregorius Nyſſenus ait in vitâ S. Macrinæ, hanc Crucem ferream cordi affixam geſtitaſſe: annulum ha-

buiſſe, in cujus palâ ſignum erat Crucis, cum particulis ligni Crũcis. Hęc eadem moriens & Deum orans, oculis, ori, cordi ſignum Crucis, tanquam ſignum immortalitatis appoſuit: hoc ſigno vitã corporis ſui membris repromittens, quæ videbatur eis aufferri. Si quid terribile, ſi quid formidandum occurrit, ſigno Crucis ſe tutantur & ſecuros reddunt Chriſtiani, quod in Iuliano Imperatore, fide Gregorii Naz. vidimus. Si tentatio urget, ſi periculum imminet, iis ſe liberari putant, ſi Crucis ſignum uſurpant: quod luculento exemplo confirmat S. Epiphanius. Et quo Chriſtianus dicere poſſet, mihi vivere haud abſque Cruce eſt, ſupra panes orare, eoſque Cruce ſignare conſuevere viri pii ut ex Gregorio Naz. compertum habemus.

Orat. 3. quæ eſt cõtra Iulia.

hæreſi 30. n. 7. & 8.

Orat. 19.

Quia verò adverſarii noſtri heterodoxi frequentem Crucis uſum in ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio, & in Sacramentorum celebratione deridere, & ſuggillare auſi ſunt, poſtquam eis Minutium Felicem authorem antiquiſſimũ

jam antè laudatum oppoſui, nunc illis S. Joannem Chryſoſtomum proferam, cujus quot verba, tot ſanè jacula contra eos contorta: ſic ergo habet ſermone de adoratione Crucis. *Ea quæ ad relliginẽ* tõ. 6. *noſtram pertinent, per eam perficiuntur* opuſ. *omnia, ſive renaſcendum, Crux præſto eſt: ſive myſticus ille cibus ſumendus: ſive in clerum aliqui cooptandi ſunt: ſive quidvis aliud faciendum ubique ſignum Crucis nobis adeſt: ob eamque cauſam & in ædibus & in muris & in feneſtris, & in frontibus, & inanimo atque mente eam ſtudiosè depingimus, & inſculpimus, hinc σφραγὶς ſignaculum, ſive ſignum vocata eſt: quod depoſita divina quæ accipimus hoc quaſi ſigno quodam regio atque annulo obſignamus: nec quicquam mali jam audet accedere. Si quẽ populo præficimus eũque ac Sacerdotii dignitatẽ provehimus, poſtquam innumerabilia precati ſumus, & Spiritus ſancti munus appropinquare, evocavimus: τοῦτο σφραγιζόμεθα ὥσπερ, ἐνταῦθα κλείοντες ἐν ἀσφαλεῖ ταμείῳ τὴν δοθεῖσαν δωρεάν Hac notâ munus conceſſũ velut in tuto conclavi obſignamus.* Addit poſtea, *Crucem quoque in ſacrificiis adhiberi.* Deinde *cùm ergò*

&c. *Cùm frons cõſignabitur, cùm pectus cùm oculi, cùm reliqua membra,* &c.

Sed hoc quod ait Chryſoſtomus, *Crucem in frontibus geſtari,* alibi diſertè aſſerit, his verbis, *evaſit coronis ſplendidior, & omnes eam in ronte circumferimus: & non ſolùm non erubeſcentes, ſed eâ etiam gloriantes.* S. Hieronymus. *Ego Chriſtianus, de parentibus Chriſtianis natus, & vexillum Crucis in meâ fronte portans.* S. Auguſtinus ſermone 8. eorum quos edidit Sirmundus. *Eſt ergo hoc ſignum, quod in fronte geſtamus, ſignum quo ſalvi ſumus.* Ex iis quiadditi ſunt in ſupplemento ſerm. 20. *Propterea & nos ſignum Crucis in fronte portamus, qui illud intelligimus. Hoc dico (Fratres) quia multi illud faciunt & intelligere nolunt. Factorē quærit Deus ſignorum ſuorum, non pictorem. Si portas in fronte ſignum humilitatis Chriſti, porta in corde imitationem humilitatis Chriſti.* Ibidem Homilia 11. *Signum veteris teſtamenti, Circumciſio in latenti carne: Signum novi Teſtamenti, Crux in liberâ fronte.* Hujus autem piæ admodum conſuetudinis origo iſta eſt: quòd Sacerdos in baptiſmo

In Pſal. 109.

Apologia cõtra Rufinum. C.18

tiſmo frontem oleo ſacro inungens ſignum Crucis imprimebat, quod ſancti Patres σφραγῖδα vocant, id est *characterem*. Sic verò titulum appellarunt veteres qui domuum fronti appoſitus eſt, quo ſignificarunt domum illam fiſco eſſe deputatam, & in jus regium tranſiiſſe. Conſimili modo Crux in fronte Chriſtianorum primùm à Sacerdote impreſſâ; poſtea in hujus rei memoriam geſtata ſignificabat illos non ampliùs ſui juris eſſe, ſed Chriſti. Hac notâ, hoc titulo & charactere ſibi Deus Chriſtianos peculiari jure vindicabat. Hæc mihi videtur eſſe ratio, cur veteres in fronte Crucem tulerunt. Quamquam ea quam affert Chryſoſtomus non contemnenda eſt. Notum eſt enim Crucis ſigno veteres obſignaſſe quę certa & inviolata, quæ ſancta & cõfirmata eſſe voluerũt: hinc in annulis Crux ſæpe inſculpta. Quamquam S. Paulinus qui hanc cõſuetudinem etiam apud Latinos viguiſſe nos docet, hujus aliam dat rationem, ut tanquam Agni ſanguine tinc- *carm. 13.*

tos, dum vaſtator tranſit Angelus, illæſos dimittat.

Quia fronte ſignum Chriſtianis emicat,
Quo mors ſubacta corruit.

Crux extrinſecùs ſignata virtutem Crucifixi intra operantem & conſervantem demōſtrat. Nec ob aliam cauſam idem S. Paulinus Crucem *Cœli gloriam* vocare auſus eſt (ut ante dixi) niſi quia per Crucem qui ſalvi ſunt, cœlū conſcendunt fiuntque *cives Sanctorum & domeſtici Dei*. Quin & virtuti Crucis tribuit S. Cyrillus Jeroſol. quòd Fidei chriſtianæ jugo Scythę, Ægyptii, nationeſque omnes ſubditæ fuerint & in unum collectæ.

carm. 26.

Catech. 13.

Nec tantùm fronti Chriſtianorum, ſed etiam Eccleſiarum tanquā *ſignum Domini, & ſignum cœleſte* præfixa fuit, ut ex S. Paulino manifeſtum: quòd illic *templum Dei* eſſe intuentibus monſtraret. Rubeo autem colore fulgebant hæ Cruces ut Fidelium oculis ſanguinem in Cruce fuſum quo redimuntur & abluuntur, repræſētarent. Erant & coronatæ, ut

ep. 12.

quà itur ad coronam oſtēderent. His denique columbę, ſimplicium & Crucis amicarum animarũm ſymbola, ſuperſedebant aut ſupervolitabant. Haud prætermittam tunc temporis primùm ad chriſtianam fidem aditum fuiſſe per ſignum Crucis. Antequam inter catechumenos recenſerentur, antequam exorciſmis & aliis (ut loquitur S. Auguſtinus) ſacramentis ad baptiſmum diſponerentur, cùm in album competentium referuntur, *ſignò Crucis* initiantur veluti totius ſanctitatis principio tanquam excellentiſſimo & aptiſſimo vitæ Chriſtianæ præludio, ut hoc ſignò diſcerent quod fiebant, quòd iter arripiebant, cui ſe vitæ generi devovębant: nec ad Crucis nomen aut præſentiam terrerentur Chriſtiani, qui ipſam Chriſtianitatis ſuæ non frontem tantùm & originē, ſed primam quoque januam primumque gradum fuiſſe recordantur. Atque adeò hæc duo veluti cognata inter ſe atque indiviſa intelligantur *Crux* & *Chriſtianus*. Prævit huicce meæ aſſer-

C. 2. tioni S. Auguſtinus libro 4. de catechizandis rudibus his verbis. *Dum per ſacratiſſimum Crucis ſignum vos ſuſcipit in utero ſancta mater Eccleſia, quæ ſicut & fratres veſtros cum ſummâ lætitiâ ſpiritaliter pariet, novâ prole futura tanta matris, quouſque per lavacrum ſanctum regeneratos veræ luci reſtituat.* Agnoſcant hîc Calviniani falſò ſe Chriſtianos vocari, quorum ſignum ac veluti teſſeram hoc eſt Crucē abnuunt: ſe in Eccleſiâ Chriſti locum non habere, cùm ab ejus limine, hoc eſt à *ſigno Crucis* ex juratâ ſuæ hæreſeos profeſſione abhorreant.

Nec alia ratio quærenda eſt cur veteres Crucem coronatam pinxerint & adoraverint, cujuſmodi multas Cruces videre eſt in nummis quàm plurimis tum Lypſii, tum Gretſeri. Primas ei dedere, & Orbis victricem agnovere. Cùm Judæis templum ædificantibus permiſſu Juliani Imperatoris in cœlo apparuit, luce coronata viſa eſt (ut ait Gregorius Nazianzenus) qualem etiam deſcribit S. Paulinus epiſtolâ 12.

Orat. 2. cōtra Jul.

quæ eſt ad Severum.

Crucem corona lucido cingit globo.

Et qualis viſa eſt ipſimet Iuliano imperatori victimarum exta inſpicienti, ut ex eodẽ Gregorio Naz. diſcimus. Non mirùm itaque ſi tam in Oriente quàm in Occidente, in medio Quadrageſimæ, dies peculiaris ſanctæ Crucis celebrationi addicta eſt, cujus rationem hanc affert Chryſoſtomus, ut dum in medio jejuniorũ curſu Crucem ſincero corde caſtiſque labris veneramur, ad reliquum ſtadii ſanctorum jejuniorum ſpatium peragendum nos alacriores robuſtioreſque efficiat. Præclarè itaque S. Cyrillus Ieroſol. *Gloria ſanè Eccleſiæ catholicæ eſt omnis actio Chriſti.* καύχημα δὲ καυχημάτων ὁ σταυρὸς at gloria multo excellentiſſima, quæque aliam quamcumque ſuperat, Crux eſt.

Orat. I. cõtra Iul.

Serm. de adorat. crucis & Cal. Rom. vetus.

Catecheſi 15.

Nemo iſta legerit, VIR CLARISSIME, qui non fateatur ultro, ſpiritum qui tunc Eccleſiam rexit & animavit, longè alium fuiſſe ab eo, quo ſe Calviniani duci & inſpirari jactitant, quo furunt

adverſus Eccleſiam Romanam, quæ hoc cum Cruce commune habet ut & eoſdem hoſtes experta ſit & unà cumCruce ab iis fuerit exploſa. Quod S. Athanaſius de Iudęis dixit hoc de Calvinianis pronuntio: nam hâc in re fratres ſunt juxta illud Chryſoſtomi, ὁμότροπος ἀδελφός. *Nunquid dignius eſt Crucem adorare, quam* [Calvinianorum] *& totius mundi gratiam lucrifacere.* Et ne omnia iſta ab ingenio humano profecta objectêt, S. Baſilii authoritatem eis opponimus, qui inter traditiones ab Apoſtolis receptas, *ſigno Crucis fideles conſignari* reponit. Eo non plebei tantùm, ſed Reges & Imperatores gloriati ſunt. S. Hieronymus *regum purpuras & ardentes diadematum gemmas, patibuli ſalutaris pictura condecorat.* Quicquid contra Crucis venerationem dicant Calviniani, pluris apud cordatos erunt tot & tantorum Patrum effata quàm vana heterodoxorũ dogmata.

Ser. de Cruce et Paſ. Dom.

To. 1. con. 3. de Lazaro.

* *Iudæorũ*

lib. de Spiritu ſãcto c. 27.

Ep. 7.

Una Crux nobis ſupereſt, qua ab decipientibus mundi vanitatibus & illecebris protegamur.

Quo enim non tolleret, inquit Sanctus Auguſtinus, *quem non involveret*, *in quod profundum non demergeret fluvius iſte horrendæ nequitiæ generis humani, niſi Crux Chriſti in tantâ velut mole authoritatis eminentiùs fortiùſque figeretur*, *cujus apprehenſo robore ſtabiles eſſemus*, *nè malè ſuadentium vel in mala impellentium tàm vaſto hujus mundi gurgite abrepti ſorberemur!*

Hæc dicenda habui, Vir Clarissime, de *Crucis Signo*, ejuſque uſu apud veteres. Non deerit Tibi quod Cruci offeras, ſi ei offers lacrymas tuas de amiſsâ conjuge cum qua vitæ humanæ gaudia omnia & ſolatia erepta fuiſſe videntur. Illi verè Crucem venerantur & colunt qui eam æquo animo ſentiũt & perferunt. Præſtat ut *Crux* in moribus noſtris fulgeat quàm in auro & argento. Præſtat ut lacrymis quàm ut gẽmis ornetur, ne in proverbium Hiſpanicum incidamus; *La Croce en pechos, y el diablo en hechos*. Pervero ridiculi ſunt, qui cùm Crucifixum adorent & Crucis ejus inſignia præferant, nihil aliud ta-

men volunt quàm oblectari & ludere & ſaltare. Facile eſt ſic amare Deum: ſed certum non ſic
Ep. 2. amari Crucifixum. *Cogitemus* cum ſancto Hieronymo *Crucem ejus, & divitias lutum putabimus.* Vale.

Datum in Prioratu S. Germani de Benayo, diœceſis Andegavenſis, in ipſis Bacchanalibus, anno Domini 1661.

EPISTOLA
AD
ILLUSTRISSIMUM
REVERENDISSIMUMQUE D.
D. HENRICVM
ARNAVLD
ANDIUM EPISCOPUM,
SANCTI NICOLAI ABBATEM,
REGI A SANCTIORIBUS, &c.

De Epiſcoporum Paſtorumque Nomine, Officio & Dignitate.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO
REVERENDISSIMOQUE
D HENRICO
ARNAVLD
ANDIUM EPISCOPO,
SANCTI NICOLAI ABBATI,
REGI A SANCTIORIBVS, &c.

F. J. FRONTO C. R.

VETEREM Eccleſiæ diſciplinam inſtauranti, & de Majorum moribus ſollicito, haud ſpernendum antiquitatis momumentum offero, PRÆSUL ILLUSTRISSIME: cujus enim oculos lubentiùs ſubibit, quàm ejus qui citra præſentium contemptum, priſtina revocat, præterita retractat; & abſque novi-

tatis periculo, quæ ſocordia Chriſtianorum pridem obſolevere, ac nimium diu depravata, quantâ poteſt ſapientiâ & moderatione reformat? Rem arduam aggrederis, SAPIENTISSIME PRÆSUL: nihil tamen ultra Epiſcopum; qui aut ſe ipſe neſcit; aut ad ſumma quæque ſibi enitendum intelligit. Quos implevit ſemel Eccleſię ſpiritus, non ſinit eos ad arcta tempora contrahi: præſentia providentiæ ipſorum non ſufficiunt, niſi & antecedentia repetant, & occupent futura. Eos ex quo Duces facti ſunt, decet quædam amplitudo, quæ ad omnem locorum, ſęculorumque differentiam ſe extendat, ut capacitatem eorum nihil effugiat, quin probè videant, aut à quibus accipiendũ, aut quibus ſit occurrendum. Et quod prohibebatur Adamo cum ſeverâ maledictionis pœnâ, Chriſto illâ ſolvente, ipſis imperatum eſt *comedere de ligno ſcientia boni & mali*, ne quid lateat eorum quæ vitanda, quæque facienda ſunt. In ſublimi Eccleſiæ ſpecula conſtituti, cuncta circum ſe poſita contemplan-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

tur : cùmque pauci ad ipſos conſcendere queant, à nullo tamen ſuorum ſe abeſſe patiuntur : hæc enim vis eſt ἐπισκόπου. Quæ vox olim Gentilibus in uſu, ab illis ad nos pervenit, ſuo ſignificatu plurima complectens, quæ noſſe operæ pretium eſt. Atque imprimis celeberrima hujus vocis uſurpatio eſt, quàm veteres tradidêre, οἱ παρ' Ἀθηναίων, εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἑκάστοις πεμπόμενοι, ἐπίσκοποι καὶ φύλακες ἐκαλοῦντο, οὓς οἱ Λάκωνες ἁρμοστὰς ἔλεγον. *Qui in civitates ſubjectas ab Athenienſibus mittebantur rebus ſingulorum proſpecturi, hi & Epiſcopi, & Cuſtodes dicebantur, quos aliâ voce Lacones dicebant* Ἁρμοστὰς .i. aptandis inter ſe populis ornandisq; præpoſitos. Egregium ſanè munus Epiſcoporum etiam noſtratium eſſe τῶν πόλεων ἁρμοστὰς & ut loquitur Plutarchus σωφρονιστάς. cùm neminē aut præ abundantiâ luxuriati & inſoleſcere, aut prę inopiâ deſtitui & contabeſcere patiuntur. Sicque magna minimis conciliant, ut nec illa exhauriantur ab iſtis, nec iſta ab illis opprimantur. Quare ad hunc Laconum Ma-

Scholiaſtes Græc. Ariſtophanis Suidas Harpocr. voce ἐπίσκοπος. videndus & Cicero ad Attic. l. 7. ep. 11.

Temperatores.

giſtratum alludens Dionyſius ille auctor verè maximus, prudenter admonet, θεῖα πάντως οὐ τολμητέον ἑτέροις ἡγήσασθαι, τὸν μὴ κατὰ πᾶσαν ἕξιν αὐτοῦ γεγονότα θεοειδέστατον, καὶ πρὸς τῆς θείας ἐπιπνοίας, καὶ κρίσεως, ἁρμοστὴν ἀναδεδειγμένον. *Non debet temerè ducem ſeſe aliis divini luminis offerre, qui non ſecundùm omnem ſtatum ſuum deiformis planè evaſerit, divinâq; inſpiratione, & ſententiâ ad id idoneus ſit comprobatus.* Et hoc Te officio perbellè defunctum ſcimus, Optime Præsul, quando Andium Epiſcopus deſtinatus à Rege, imminenti urbi tuæ tempeſtati obviã proceſſiſti, tanto cum animo, ut non futurus eorum Sacerdos, ſed dudum factus videreris. Nec ſanè id mirũ: haud enim illùc ut ignotus conceſſeras: neque te primùm tunc vidêre Andes: ſed quem tacitis votis ſibi diu ante optaverant, cùm propter ſinceram pietatem, tum propter raram cum Abbatis dignitate modeſtiam quam ſæpè fuerāt intuiti, opportuno tempore, cœlo nempè juſtiſſimis eorum precibus favēte, recepere. Veteres habuêre θεοὺς τῶν πόλεων ἐπισκόπους, *Deos urbium*

Lib. de Eccleſ. Hierar. c. 3.

Phurnutus ubi de Pallade agit.

Epiſcopos, quarum nempè ſaluti invigilarent. Rem ergò habuiſti ante titulum, cùm plerique titulũ habeant ſine re. Nondùm illuſtri nomine inſignitus, opus anticipaſti, quod allis deeſt tanto nominè gloriantibus. Et certè infra Epiſcopum eſt, qui reditus congregat & pinguia aggerit beneficia, ad ſplendida convivia, ad equorum canumque luxum, & alia innumera; quibus populis, non ſaluti, ſed perniciei, & ſcandalo eſt: cætera imperare contentus, & per vicarios agere: numquam præſens, niſi cùm edicendum, aut interminandum: Liceat & hunc dicere Epiſcopum, ſed ſenſu Homerico.

——— ἐπίσκοπος ᾖσιν ὁδαίων Odiſſ. θ

Κερδέων θ' ἁρπαλέων, ——— *Qui lucris & commodis ſolùm animũ intendit.* Hoc enim optimè convenit beneficiorum helluonibus, & redituum Eccleſiaſticorum inſidiatoribus: qui & ἐπίσκοποι Epiſcopatuum facti ſunt, vocis uſu qui in Ariſtophane *exploratores* ſignificat, cùmq; à Deo O. M. terræ promiſſæ ἐπί- ſκοποι i. exploratores conſtituti *In ἀριθ- μοῖς*

ſint, populis non renunciant bona, & quâ verbis, quâ operibus, eos magis revocant, quàm ad capeſſendam promiſſam hæreditatẽ impellant. Qui duces fiunt cùm minimè milites fuerint: contra quam Canones ſanctiſſimi definiunt. Adverſus illos in judicio conſurgent vel ipſi Gentiles, quo-
Syneſius in Dione. rum lex erat, & inviolata conſuetudo, δεῖν τὰ μικρὰ ἐποπτεῦσαι πρὸ τῶν μειζόνων, καὶ χορεῦσαι πρὶν δᾳδουχῆσαι, καὶ δᾳδουχῆσαι πρὶν ἱεροφαντῆσαι: *à minoribus ad majora conſcendendum: iis qui initiantur, non ſtatim omnia perſpecta: à choro ad faces, à facibus ad ſacrorum enuntiationem quaſi gradatim deveniendum.* Verùm fateor me hîc umbrã verberare: haud enim quemquam in ſacro illo ordine eſſe mihi perſuaſerim, in quem iſta recidant. Itaque pergo. Qui ſagittando rectè collimant, hi etiam vocati Epiſcopi, ſic enim Theocritus Herculem dixit----- ἐπίσκοπον εἶναι οἰστῶν, *certum ſagittâ jaculatorem.* Quâ ratione nemo homo eſt, qui hoc nomine cenſeri non poſsit, ſi rectà tendit ad Deum, nec ab illo omnibus hominibus præſcripto fine

ſeu quivis alius Bion vel Moſchus, ἐν ἐγχ-λισχῳ.

deerat. Indignum autẽ & propè furioſum aliorum velle fieri ὁδη-γοὺς, & ξιφόρους, qui nec viam quâ duces, ducendi, nec terminum quò per- ductores, ducendi ſunt, didicerunt; ovium fieri φύλακας, qui re verâ lupi ſunt. In quodã oraculo apud Porphy-rium, Epiſcopus dicitur .qui in re dubia Dei conſilium ſciſcitatur, ſic enim Oraculum concludit A-pollo. τό δ' ἐπίσκοπε φημὶ δικαίως *Hoc* L. 2. *juſtum quod tibi, ô Epiſcope, pronuntio.* abst. animal. Et noſtrorum etiam Epiſcoporũ eſt in ſapientiorum mentem in-quirere. Multis obnoxius fit pec-catis, qui ſemper genio ſuo morẽ gerit, proprio judicio fretus. Al-tiora & diviniora debet. ἐπισκοπεῖν Hieron. ep 27. nè *à præſumptione* , *peſſimo præceptore* quicquam facere videatur. An ic-circo Heſychio ἐπίσκοπος dicitur βασιλεὺς ἐπήκοος (niſi legendum ſit ὑπήκοος, ſed ſenſũs idem) *Rex obediẽs, Rex qui alteri paret?* ut ſi placet dig-nitas, ejus qui ſuperior eſt, pote-ſtas occurrat animo: ſicque ſe imperantem qui præeſt noverit, ut alteri ſe obſequibilem præſtet. Sunt enim Prçſules, τῷ θεῷ λειτουργοί Lib. de defectu oraculo. quomodo Plutarchus vocat ſpiri-

tus quoſdam beatos, quos ait eſſe ἐπισκόπους, θεῶν ἱερῶν καὶ μυστηρίων ὀργεια-

In Numa. στάς. *In templis deorum Epiſcopos & myſteriorum miniſtros.* Quod idem munus alibi aſſignat Pontifici, οὐ μόνον τῶν δημοσίᾳ δρωμένων ἐπιμελούμενος, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἰδίᾳ θύοντας ἐπισκοπῶν, καὶ κωλύων παρεκβαίνειν τὰ νενομισμένα, καὶ διδάσκων, ὅτου τις δέοιτο πρὸς θεῶν τιμὴν ἢ παραίτησιν· ἦν δὲ καὶ τῶν ἱερῶν παρθένων ἐπίσκοπος. Quis non credat Plutarchum hic Pontificis Chriſtiani officium deſcribere? *Non tantùm,* inquit, *eorum quæ publicè fiunt* (in templis) *ſed etiam privatim ſacrificantium inſpector qui prohibent quicquam omitti, doceat etiam quibus opus eſt ad Deorum cultum & religionem. Erat & virginum ſacrarum Epiſcopus.* Ex quibus amplitudo hujus vocis ἐπισκόπου, & officii ejus manifeſtè agnoſcitur. Necdũ his tamen contrahitur: ad alia ſe extendit. In ludis & certaminibus fuêre Epiſcopi qui præſiderent, & animosè certantes præmio afficerent. Atqui hi dicti ſunt βραβευταὶ, ἀγωνοθέται, ἤτοι ἐπίσκοποι τοῦ ἀγῶνος.

Did in Odyſſ 8

quo munere fungimur, licet indigni, in diſputationibus publicis, quæ fiunt in Academiã Pariſienſi.

Verè vita humana luſus eſt ſi credimus dicenti. *Dii nos quaſi pilas habent* : & Deos hîc intelligo mundi principes: & verè *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. Vos autem PRÆSULES ILLUSTRISSIMI, bravium pugnantibus prætenditis, palmam victoribus promittitis, labaſcentes ſpe certâ fovetis, ſi re verâ & non tantùm ſpecie, aut nudo charactere tanta refulgeat dignitas. Sed cavendum nè quis rem ſeriam in jocum vertat, nè cujus perſonata ſit auctoritas. Sic enim Epiſcopi nomen obtineret quidem, at eo ſenſu quo dicti ſunt olim ἐπίσκοποι, ἄρχοντες, ἐπὶ σκηνῆς, *Principes ſcenarum*. Sed dum aliud ago, ferè collegi quot modis vox illa *Epiſcopi* priſcis auctoribus accepta ſit: nihil premens ſilentio, quia Virum alloquor veritatis amantem, & ſordidæ adulationis oſorem conſtantiſſimum. Semper in Pontificibus Eccleſiæ fui reveritus characterem, auctoritatem poteſtatemq; ſuſpexi: ſed ſi qui ſint, quod de nullo facilè crediderim, qui Chriſtum non diligant niſi in auro & gemmis, non is ſum qui eis palpû-

Plaut.

Iob. 1.

Etymol. M.

obtrudere velim, donec Canones & Cōcilia quibus toties damnantur ut avari, ut crudeles & homicidę oblitteraverint. Quod ſi oculos adverto ad ea quæ de Epiſcopis ſcripsêre noſtrates, video à ſanctiſſimis Auctoribus triplici potiſſimùm nomine inſignitos, κυρίων, ſeu δεσποτῶν, πατέρων, διδασκάλων. *Dominorum*, *Patrum*, *Doctorum*; ſeu *Magiſtrorum*: quibus admonemur triplicis erga illos officii, ſcilicet reverentiæ, amoris & obſervantiæ. Et quidem *Domini* vox à Latinis non promiſcuè uſurpata, ſed Regibus ut plurimùm, & Imperatoribus cōceſſa. Ita ut Plinius ſuis in epiſtolis præter Traianum,
L. 10. neminem *Dominum* vocet. Et Alexandrum votis faventē dum milites Macedones facere cupiunt, quaſi per omnes ejus titulos euntes,
Q. Curt. l. 7 *Regem*, *Patrem*, *Dominum* conclamant. Sic Greg. M. Mauritium Imperatorem *Dominum sereniſſimū* dicit: ſic & Epiſcopi Catholici Leonem Imperatorem. Fuit autem, cùm adeò ſuperba hæc *Domini* adpellatio videbatur, ut eam modeſtiores refugerent. Certè de Au-

guſto ait Suetonius, *Domini appellatione m, ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit*. Quam modeſtiam imitari voluit Tiberius initio ſui imperii: ſed quod tantummodo afflictum, non manet Qui Græcè loquuntur, vix aut nunquam κυρίους appellant, ſed δεσπότας, ſeu Imperator Imperatori, ſeu quivis alius reſcribat. Et ſanè hujus vocis Κυρίου ex hoc majeſtas apparet, quod Septuaginta Interpretes ſacroſanctum Dei Nomen יהוה eâ reddidêre: quos ſequuti ſunt Interpretes Syrus & Arabs, Apoſtoli & Evangeliſtæ Chriſtum Ieſum Κυρίου nomine ſignificant: ſed Sacerdotes Eccleſiæ in epiſtolis ſuis ſæpè & Domini titulo ut videre eſt in Latinis, & κύριον vel δεσπότου appellatione, ut agnoſcimus in Græcis utuntur. In epiſtolis Attici & Cyrilli ad Epiſcopos Africanos, ſuperſcriptio eſt, Κυρίοις τιμιωτάτοις, *Dominis honorandis*. Sed loco omnium unus erit Chryſoſtomus, qui Innocentio Papæ ſcribit: τῷ δεσπότῃ μου αἰδεσιμωτάτῳ καὶ θεοφιλεστάτῳ ἐπισκόπῳ Ἰννοκεντίῳ. quomodo etiam Ruffinum compellat

Ep. 25. Et idi. 27. *Domino*

epiſtola 46. quem nec Præsbyterum, nec Epiſcopum dicit, & ſic in multis aliis ad Epiſcopos ſcriptis. Sed & eodem honore Præsbyteros dignatur epiſtola 25. & 26. & ſæpè aliàs ſic loquitur, τῶν κυρίων μου τῶν τιμιωτάτων πρεσβυτέρων. & epiſtola 230. Aſyncritum Præsbyterum vocat, τὸ δεσπότην μου τὸν ποθεινότατον καὶ τιμιώτατον, *colendiſſimum & deſideratiſſimum Dominum meum.* Tunc nempè à Præsbyteris ſe nō diſcernebāt Epiſcopi ſuperbis titulis, & exquiſitis appellationibus, ſed charactere, & miniſterio: quod multò plura facerent, pluribus adeſſent, plura effunderent: quorum Præsbyteris & Diaconi adjutores erant. Adjuvatur autem, qui collaborat. Et ergò Epiſcopi veluti primus honos, ſed

De nomine κυρίου & Domini, Fileſacus Selector. l. 1. c. 4

communis cum mundi Principibus, Dominum cenſeri, & ex Demoſthene notavit Budæus, quod Κύριον ποιῆσαι, eſt dare auctoritatē & poteſtatem, quæ ubi nudæ ſunt in Sacerdotibus, ſanctæ quidem & formidandę propter charactere: habentibus tamen multis non profuêre, niſi ut anſam

darent Hieronymo adverſus illos exclamandi cum Sapiente: POTENTES POTENTER TORMENTA PATIUNTUR: *quia ſuam deſtruunt operibus dignitatem*, inquit ſanctus ille Doctor in 1. Iſaiæ. Et Lactantio. *Solus Dominus nuncupandus qui regit, qui habet vitæ & necis veram perpetuamque poteſtatem.* Hoc terribile eſt, ſed à ſequente Patris nomine ſuaviſſimo mitigatur, illo nulla re inferiore. Dominos enim ſupra ſe agnoſcunt Epiſcopi, tam in civili quàm in Eccleſiaſticâ πολιτεία. Sed Patres ſunt etiam Regum & Imperatorum, Qui olim Patritiâ dignitate fulgebantur, nempè quòd conſiliis, & operibus eis adeſſent. Hinc ſcribit Juſtinianus inſtit. L. 1. Tit. XII. 4. *Ex conſtitutione noſtra ſumma patriciatus dignitas illicò imperialibus codicillis præſtitis filium à patris poteſtate liberat. Quis enim patiatur patrem quidem poſſe per emancipationis modum poteſtatis ſuæ nexibus filium liberare: Imperatorum autem celſitudinem non valere eum quem ſibi patrem elegit, ab alienâ eximere poteſtate?* Sed ſi hi Imperatorum patres, quidni & Epiſcopi,

Sap. 6.

Inſtit. di. 4. c. 4.

Imperatores olim vocabant Prætores & alios Magiſtratus Patres ſuos.

qui eos alunt cibo & potu, qui Chriſtus eſt; conſiliis juvant, quæ de cœlo ſumpſere, qui vitam eorum ſuâ chariorem, Deo indefeſſis precibus cõmendant? Verùm eorum qui eminent aliis, ferè nemo quiſquam eſt, qui non Patris nomen exambiat: pauciſſimi tamen eo digni ſunt: Nè Imperatoribus quidem facilè conceſſum Patris Patriæ cognomen. Et non detulerunt alicui, niſi poſt multã lenitatis ejus experientiam, cum conſenſu magnatum, & inſimatum: & ſcimus ab Auguſto cùm primò illud recuſaſſet, tandem exceptum cum lachrymis, Deos precante, *ut ad ultimum vitæ finem* *Sueton.* *talem erga ſe omnium conſenſum perferret*. Et hoc quidem de Imperatore. Quid quod non habuit Homerus nomen quo Deum aptius appellaret, & quaſi compendioſo ſermone quicquid eſt, exprimeret, quàm eum dicendo *Patrem Deûm hominumque*. Qua de re dum *In ſermon. de Homero* loquitur Dio Chryſoſtomus ait: τό δὲ τοῦ Διὸς ἦθος, καὶ τὴν βασιλείαν, ὁποία τις ἦν, ἐν πολλοῖς ἄλλοις ποιεῖ φανερόν. *Et quidem Homerus ſæpè aliàs quis & quantus*

quantus ſit Deus, quæ ejus agendi conſuetudo, & quod regnum demonſtrat. ὡς δ' ἐν βραχεῖ περιλαβόντα εἰπεῖν τὴν δύναμιν αὐτοῦ, καὶ τὴν διάνοιαν δηλοῖ πολλάκις, ὥς εἴποτε αὐτὸν, οὕτως ὀνομάζων, πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε, *ſed paucis volens ejus & poteſtatem, & mentem complecti, ſæpè eum vocat* Patrẽ Deûmq; hominumq; , ὡς δέον τὴν τῶν βασιλέων ἐπιμέλειαν πατρικὴν, καὶ κηδεμονικὴν εἶναι μετ' εὐνοίας καὶ φιλίας. ὡς μηδὲ ποτε ἄλλως, προσήκεν ἂν θεράποντα προΐστασθαί τε, τῷ ἄρχειν, ἢ ἀγαπῶντα, καὶ προνοοῦντα, ὁπότε ὁ Ζεὺς οὐχ ὑπερορᾷ, πατὴρ τῶν ἀνθρώπων καλεῖσθαι *Quaſi doceat Homerus his verbis oportere curam Regum atque ſollicitationem eſſe paternam cum lenitate & benevolentiâ, nec aliàs deceat hominem aliis praeeſſe & imperare, niſi amore & providentiâ plenum: quandoquidem Deus pater hominum dici non dedignatur.* Et ex Seneca laudat Lactantius : *Deus homines pro liberis habet*. Benè omninò: Deum habemus, οὐ φίλιππον, οὐ φιλόρνιν ἀλλὰ φιλάνθρωπον. *non equorum, non avium, non* canum *amatorem, ſed hominum.* Ex quo ut ait Apoſtolus , *omnis paternitas quæ in cælis, & quæ in terris nominatur.* Et forte id nominis erga

Di inſt l 5.

Plutar. in Num

Eph 7.

Reges & Principes haud defugiāt Sacerdotes, ſed pauperum & afflictorum Patres haberi puderet, oneroſum eſſet. Et vereor nè plurimis cōveniat, quod olim de Patriciis ſenſit vir maximus; Ait enim Imperator Antoninus, παρὰ Φρόντωνος, ὅτι ὡς ἐπίπαν · οἱ καλούμενοι οὗτος παρ' ἡμῖν εὐπατρίδαι, ἀστοργότεροί πως, εἰσίν. *A Frontone didici eos qui nobis Patricii dicuntur, reliquis eſſe quodammodo inhumaniores.* An adverſus Principes inhumaniores? rarò id cōtingit, ut enim optimè S. Baſil.

Lib. 1. de vita ſua.

Ep. 69. ἠμαύρωται κανόνων ἀκρίβεια· ἐξουσία τοῦ ἁμαρτάνειν πολλή. οἱ γὰρ σπουδαῖς ἀνθρωπίναις παρελθόντες ἐπὶ τὸ, ἄρχειν, ἐν αὐτῷ οὕτω τῆς σπουδῆς τὴν χάριν ἀνταναπληροῦσιν, τῷ πάντα πρὸς ἡδονὴν διδόναι, τοῖς, ἁμαρτάνουσι. *Vigor canonum elanguit: multa peccandi licentia: qui favore humano ad principatum Eccleſiæ pervenêre, gratiam in hoc rependunt, ut quicquid libet peccantibus indulgeant.* Nec verò metuendum eſt, nè videar incuſare Epiſcopum, quem alloquor, quem ſcio in Aulam non iviſſe niſi vocatum, & boni publici cauſa: qui non aliter ſe Regi Reginæque ſpectabilē reddidit, quàm ſedulis

obſequiis & officiis graviſſimis Regno & Eccleſiæ multa cum ſapientia & fide impenſis: qui populo cui præfectus eſt, ita ſe in Patrem exhibet, ut pauperes æquè ac divites amplectatur, & foveat, qui cum S. Hieronymo dicere poſ- *Hieron.*
ſit, *pro officio ſacerdotii omnes Chriſtia-* *ep. 9 ad*
nos filiorum loco diligimus, & profectus *Salvin.*
eorum noſtra eſt gloria. Venio ad poſtremam τοῦ διδασκάλου appellationem. Ea non propria ſolis Epiſcopis, ſed cum excellentia eis cōveniens, & nullis niſi per ipſos conceſſa. Sic Chryſoſtomus adhuc Præsbyter Antiochenſis ſolet appellare ſuum Pontificē διδάσκαλον. ſic Euphratas Colonienſis in Concilio ejuſdē loci A. CCCCXLI. dam- *Homil.*
natur, ut *falſus doctor*, eo ſcilicet *ad pop.*
An ioc
tempore quo Epiſcopi primam in *5. &*
ſe cenſuram, eamq; ſeveram ex- *ſeqq.*
ercebant: ſacrumque ordinem oculis omnium ἀμώμητον & ἄμωμον, irreprehenſibilē & immaculatū
exhibebāt. Et in Cęſaraug. Cōcil. A. CCCLXXXI. ſub Damaſo can. 7. jubetur, *nè quis Doctoris ſibi nomen imponat, præter has perſonas quibus hoc conceſſum eſt*, utique ab Epiſcopis. Et Cæleſtinus ſcribens Epiſcopis

Galliæ in defenſionẽ S. Auguſtini ait, *non ſibi debere quemquam ad injuriam Doctorum vendicare doctrinam*. Et paulò poſt dicit Auguſtinum *inter Magiſtros optimos*, etiam à ſuis deceſſoribus habitum. Et epiſtola ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ ſapienter afferit: *Diſcernendi à plebe vel cæteris ſumus, doctrinâ, non veſte; converſatione, non habitu; mentis puritate, non cultu.* Veriſſimum enim
Di. inſt. l. 4 c. 3. quod affirmat Lactantius, *Iidem ſunt Doctores ſapientiæ, qui & Dei Sacerdotes*. Porrò hæc *Doctoris*, ſeu *Magiſtri* dignitas cõſequens eſt ad antecedentem *Patris*, ac veluti ejus complementũ. Clemens Alexandrinus, παιδεύσει, τοὺς, προσιόντας, ϗ ὡς ἐν Θεαιτήτῳ, φησὶ Πλάτων, γεννήσει ϗ
Stro. 5. ἀνθρώπους. ἀποτελέσει *Epiſcopus accedentes ad ſe erudiet, & ut ait Plato in Theateto, generabit illos, ac homines efficiet*. Sed quemadmodum eſt quoddam imperfectum, & dimidiatũ matris genus, inquit Favorinus a-
L. 12. c. 1. pud A. Gellium, peperiſſe filios, & aliis tradere alendos: ſic procul dubio eſt quoddam genus patris mancum & non integrum, cùm quos peperêre, ſeu patriæ, ſeu

Chriſto, aliis erudiendos dedunt, cùm ipſi per ſeſe docere queant. Certum quod initio generis humani, filii non alios habuere magiſtros quàm parentes. Et Plinius Junior de Romanis id affirmat. *Suus cuique parens pro magiſtro*, inquit, *aut cui parens non erat, maximus quiſque & vetuſtiſſimus pro parente*. Et de Hercule Hylæ præceptore, ait Theocritus.

l. 8. ep 15

Idil 13

Καί μιν πάντ' ἐδίδαξε, πατὴρ ὡσεὶ φίλον υἷα.

Ipſumque omnia edocuit, ſicut pater charum filium. Et Ovidius de ſe teſtatur:

Hei mihi cur didici? cur me docuêre parentes. Triſtiu

Et exindè factum, ut Doctores & Seniores, Patres dicti ſint Hebræis, Græcis, Latinis. Hæc vidiſti, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, cùm ſtatim atque Epiſcopus factus es, curæ tibi fuit genus illud patris dimidiatum amandare: & per te ipſum clerum ac populum docere. Hoc demonſtrant ſynodicæ illæ conſtitutiones; Hoc ſacros ſuſcepturis Ordines ſtatuta ſanctiſſima; Hoc; de Sacramento

Confirmationis documenta ſaluberrima teſtantur: quæ ubi legimus, Civitati, totique Diœceſi ſincerè gratulati ſumus, quæ Paſtorem nacta eſt non mollem, nõ adblandientem, nec averſantem vulnera, ſed propiùs inſpectantẽ, & infirma quæque & fracta, generoſa æquè ac miſericordi manu reficientem. Dolet fortè nonnullis hanc ob rem: ſed doleat, modò proſit: ſatis enim diu in tantis malis non doluimus. Quanquam quæ tua ſit moderatio in tractandis noſtris malis, ſolus ille neſcit, qui te non novit. Sed optimè judicaſti parum eſſe Epiſcopis fieri Dominos plebis & juris dicundi poteſtatem accepiſſe, niſi jus ipſi faciant: Jus enim à populis magis appellabitur id quod vivet, quàm quod dicent. Dicant tamen etiam tacentes, eſt enim *ſermo ſilens, & ſilentium loquens.* Nec ſimiles fiant Magiſtratibus illis qui diis veterum comparari poſſunt: quia os habent & non loquuntur, oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt: quibus ſufficit aures & linguas aliorum

Hieron ep. 15. ad Marcellam.

i

habere aut mutuo ſumptas, aut pretio redemptas. Tibi numquam eveniet, quod Adverſarii noſtri Heterodoxi in quoſdam (quos ſibi fingunt) ſemiepiſcopos, & minùs quàm dimidios inſolenter admodum jactitant, quum petulanti ore dicteria ſua evomunt. Præſules, inquiunt, cruce tenus ad pectus pendente, ſed quam corde expulere: penula bombycina, niſi etiam & hujus diſtædeat: ſane venationibus, & curſitationibus parum apta eſt. Qui ne ſacris quidem faciendi cauſa adeſſent, niſi coruſcarent gemmæ, ſplenderet aurum, niſi pompa procederet. Quorum viola, nihil boni odoris habet. Quorum annuli digitis perfulgent, tanquam evidenti futuræ dãnationis præjudicio: quia Eccleſias ſuas non ſatis meminêre ſponſas: quippè quas ſçpe & diu ſolitarias deſerũt; quibus repudium facilè renuntiant, nulla ab eis injuria affecti, niſi fortè quòd pauperes ſunt, aut ab Aula diſſitæ: & quaſi hoc parum eſſet, cum maximo illarum dedecore, alias ſuperinducunt.

Hæc aut ſimilia ipſi. Verùm tanta eſt in Gallia, copia Epiſcoporum pietate & doctrinâ præſtantiſſimorum, quibus ipſe accenſendus es, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, ut facillimum ſit os obtrectatorū impudentiſsimum confundere. Fatentur quod prohibita & deteſtanda, in ſpirituali ſacrilega ſunt, & omnibus modis fugienda, niſi boni publici cauſa gravis, Regibus, Clero, populo approbata acceſſerit. Et nolunt ex eo, quod dignitate ſuâ tanquā ſipario quodam teguntur, quidquam ſibi impunè liceat. Nam *viliſſimis comparandus eſt, niſi præcellat ſcientiâ & ſan-*
ep 4. ed. *ctitate, qui eſt honore præſtantior*, in-
Laur. quit Symmachus Papa. Timent nè
Medic. à Chriſto audiant quod à Chriſti Vicario, Papa piiſſimo, quondam audivêre Epiſcopi. *Si canones non cuſtoditis, & Majorum vultis ſtatuta*
Greg. *convellere, non cognoſco qui eſtis.* Nullā
M. l. 2. ergò ignorantiæ, aut ignaviæ ex-
p. 2 ep cuſationem admittunt, Doctores
52. non modò propriarū Diœceſeon conſtituti, ſed per illas univerſalis Eccleſiæ. Quæ verba non mea ſunt, ſed S. Chryſoſtomi Antio-

chenſis Præsbyteri Flavianum E- *In ſermō.cùm Præsbyter deſignatus eſſet.*
piſcopum ſuum vocantis. τὸν κοινὸν τῆς πατρίδος διδάσκαλον, καὶ διὰ τῆς πατρίδος τῆς οἰκουμένης ἁπάσης, *Doctorem Patriæ communem, & per illam univerſi terrarum orbis*. Non unius Eccleſiæ, ſed omnium; non unius ſæculi, ſed futurorum intereſt qualis ſit Epiſcopus. In ejus manu eſt ſalus infinitorum quos non novit, ſed ad quos fama converſationis ejus pertinet. Et quemadmodum ſi bonus, toti orbi Chriſtiano bonus, ſic omninò ſi malus, in ruinam & probrum omnium Eccleſiarum malus eſt: quia ἀπὸ μυρίων ὀμμάτων φρουρεῖται. *ab innumeris obſervatur oculis*, ait Syneſius. Conqueruntur
Synodi Myrenſis Epiſcopi apud *Ep. 105*
Leonem Imperatorem ob interfectum Sacerdotem. & aiunt. *Non una Eccleſia hanc pertulit læſionem, nec unus Sacerdos occiſus eſt, ſed omnis Eccleſia & omnis Pontifex eſt necatus. Vnum enim ſecundùm B. Pauli vocem omnes pariter ſumus*. Epiſcopus ergò ſi perit, non ſolus perit, ſed multi cum ipſo, & per ipſum; ſi ſalvus eſt, & multos ad ſalutem perducit. Deniq; ſeu mortuus, ſeu vivus

numquam ſine comitatu eſt, & ſicut ejus egregiè facta, ſic peccata ad multos attinent: quia τὰ
In ep. Synod. Concilii Calced. ἁμαρτήματα τῶν ἱερέων, κοινὸν αἶσχός ἐστι. *Delicta Sacerdotum cõmunis eſt turpitudo.* Infelici experientia compertũ quòd ubi qui præſunt literas oderunt, & neglexerunt, cæteri non magni illas æſtimant. Nec deeſt pallium quo pigritiam involvant, *ſcientia inflat*: quorſum tot librorũ volumina? non in illis vita æterna; ſed paucis Paulus ipſe reſpondet,
1. Cor. 14. *ſi quis ignorat, ignorabitur.* Deeſt multis ſcientia: & tamen tument, divitiis nempè & dignitate ſuâ elati: ob quæ gloriari vaniſſimum eſt. Fatemur ergò Epiſcoporum excellentiam in hoc elucere quod ſint noſtri omnium Domini, Patres, Magiſtri: ἄκρα ἡ τιμὴ τοὺς δούλους ὀνομασθῆναι θεοῦ. *At ſupremus honos*
In 2. Reg. 9. 20. *eſt dici Dei ſervos*, ut optimè docet Theodoretus. Paſtoribus olim quorum vitam quadantenus imitati ſunt Epiſcopi & nomen retinuêre, Dii erant triplicis generis,
Schol. Græc. in Theocrit. Idyll. 1. *Pan*, nempè, & *Muſæ*, & *Nymphæ*. θεοῖς ἐχρῶντο οἱ νομεῖς τῷ πανὶ, καὶ ταῖς μούσαις, καὶ ἔτι ταῖς νύμφαις Antequam

de Diis illis Paſtorum dicam, liceat mihi priùs adnotare, Paſtores auctorum celeberrimorum conſenſu in humano genere eſſe antiquiſſimos, & nobiliſſimos: qui quia otio abundarent, carminibus & modulationibus operam dedêre: quæ duo aut idem aut individua fuerunt. Euſtathius enim Homerum ait, *Iliad. 1.* ἡ ἁρμονικὴ σοφία διαφορὰν οἶδε τοῦ ᾄδειν καὶ τοῦ λέγειν· τὸ μὲν ᾄδειν ἀπονέμουσα τῇ ἐμμελείᾳ, τὸ δὲ λέγειν τῷ ἀμελεῖ λόγῳ διδοῦσα. *Sapientia harmonica optimè diſtinguit canere & dicere, quòd illic diligentia ſpecialis, hic ſolutus ſermo ſit*. Hinc ergò Muſas coluêre Paſtores, & primi poëſeos fuêre Parentes, ut mecum agnoſcunt viri doctiſſimi. *Iul. Scaliger Poetices l. 1. c. 4.* Quod ſi primi ἀοιδοί, ſanè, & primi Philoſophi: nam ἀοιδὸν Homericum Didymus vult fuiſſe Philoſophum, *vates cantores.* τὸ γὰρ ἀρχαῖον, inquit, οἱ ἀοιδοὶ φιλοσόφων τάξιν εἶχον, *quia initio cantores* (Poëtæ) *locum tenebant Philoſophorum*. *3 Odyſſ.* Et ſanè, quis melius naturam rerum, ſeu herbarum, ſeu animalium compertā habebat? Quis meliùs cœlorum curſum, ordinem, influxus noverat? quis meliùs eorum quæ [illegible]

dicimus cauſas, tempora, finem diſcernebat? Sed addo, fuêre igitur & religionis ergà ſuperos primi auctores, quia Deorum hymni & preces carminibus comprehendebantur. Eam ob rem Platoni, θεῶν παῖδες ποιηταί, καὶ προφῆται τῶν

Politicorũ 2. θεῶν γενόμενοι. *Poëtæ Deorum filii, & Prophetæ*, & cùm de Diis altius philoſophatur, ἀδύνατον οὖν θεῶν παισὶν

In Timæo ἀπιστεῖν, &c. inquit. *fieri nequit ut fidē Deorum filiis non habeamus.* Quod autem de Paſtoribus nationum exterarum heic aſſero, Hebræorum

Nō credēdum eſt ſine ſuis originibus hæc eſſe fruſtra atq; inania fieri: nec habere omnium ſuis inſtitutionibus cauſas Arnob. lib. 5

Paſtoribus multò magis convenire, nemo negabit, id teſtāte Scripturâ, maximè cum Moſes non ex Principe & Duce exercituũ Pharaonis, aut ex victore, quæ munera geſſerat ex Ægypto, teſte Joſepho, ſed ex Paſtore factus ſit Propheta & Legiſlator. Si ergò Pan Deus Paſtorum ab Hebræis repetitur, nihil erit abſurdi. Quod enim plerique exiſtimant Deum eſſe noſtrum, quod ſit omnia, & τὸ πᾶν, nihil id verò babet ſimile: πὰν enim & πᾶν inflexione differunt, nempè τοῦ πανός & τοῦ παντός. Si ergò Deum illum ab Hebræis

educimus, origo ejus eſt פנה *Panah*, undè פנים *panim*, quod eſt *facies*: quæ vox conjuncta cum יהוה *Iehova*, vel cum אלהים *Elohim* Dei præſentiam & cõſpectũ ſignificat: nihilq́; in Scripturis occurrit hac cõſtructione יהוה פני *pene Iehova*, vel פני אלהים *pene Elohim*, Et vel iſte locus Geneſ. 10. dederit huic Deo venatori principiũ יהוה גבור ציד לפני *gibbor tſaid liphne Iehova: potens venator coram Domino*: undè fluxiſſe dicit Moſes proverbium. Neque parum favet huic conjecturæ, quod Pan dicitur oracula docuiſſe Apollinem, qui enim Deum conſulebant, ad conſpectum Dei ſe cõvertere, & de conſpectu Dei exire dicebantur: & de Moyſe qui fuit primus Oraculorum parens dicitur Exod. 33. quòd loquebatur Dominus illi פנים אל פנים *panim el panim: facie ad faciem*, ſic Deuteron. 5. Et hoc in monte ex quo Pan Deus montium eſt. Sic Geneſ. 23. cùm Jacob & ipſe Paſtor, vidit Deum *facie ad faciem*, & hoc in monte Galaad. Quid quod vox illa Exod. 53. com. XIV. pro Deo *Homer. in hym.*

ipſo, aut pro Angelo Dei ſumitur: ubi enim legimus in vulgata, *facias mea præcedet te, & requiē dabo tibi*, Textus Hebræus habet ילכו פני *panaï jelecou*. Hinc Pan etiam ab Homero dicitur, *Deorum Angelus*
Vide la *ſeu nuntius*. Et quod formę caprinę
2. Diſſ ei affingebant, indè venit quod
§. ult. Deum agreſtem eſſe exiſtimaverunt. Neque ergo Paſtores noſtri veterum morem defugiēt, colere פני יהוה *pene Iehova*, Deum cōſpectū, & Muſas ſibi familiares facere, & Nymphas (quod eſt ſponſas) agnoſcere animas, quas ſacramētis Chriſto aſſeruêre, & ſanctiſſimo ei conjugio copulavêre. Sed quia fabuloſa veterum cōmenta, ſeria nobis cogitata ſuppeditant, ut de origine Nympharum aliquid dicam, crediderim vocem illam ab Hebraica נוף *Nouph* venire, ו in y non rarò commutantur. Duo autem ſignificat, *elevare* & *effundere* ſeu *ſtillare*, *aſpergere*, ab utroque ſignificatu optimè puellæ & mulieres dictæ ſunt Nymphæ. A primo quidem, quia in altioribus locis habitabant, à conſpectibus hominum remotæ. Docet hoc Scholia-

ſtes Homeri Græcus: οἱ ἀρχαῖοι, inquit, ταῖς γυναιξὶν ὑπερῴους τοὺς θαλάμους κατεσκεύαζον, ὑπὲρ τοῦ δυσεντεύτους αὐτὰς εἶναι. *Antiqui ſuperiora cubicula parabãt mulieribus, ut non facilè occurrerent.* Sed ab altero ſignificatu aptiùs meliùsque derivatur vox illa *Nympha.* Quia ſacrificiis puellæ aquam gerebant ad neceſſaria. Teſtẽ habeo Porphyrium de abſtin. animal. ὑδροφόρους παρθένους κατέλεξαν. αἱ δὲ ὕδωρ κομίζουσι, &c. Ordinem ſacrificii deſcribit, & ait, *Virginis aquigerulæ eliguntur, quæ aquam ſubminiſtrant.* Clariùs hæc confirmant, quæ ante dixit ex Theophraſto de ſacrificiis veterum loquente. Τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱερῶν νηφάλια παρὰ πολλοῖς ἦν· νηφάλια δ᾽ ἐστὶ τὰ ὑδρόσπονδα. *Prima & antiquiſſima ſacrificia fuêre Nephalia, quæ nihil aliud erant, quàm ex aquâ libatio.* Et cùm libationem legis, intellige *ſtillationem vel effuſionem.* Non aliundè ergò Nymphæ quàm & Nephalia à נרק *Nouph.* Sanè in Homeri Odyſſea ubi de baptiſmis, ſivè ablutionibus mentio, ſemper puellæ interveniunt, & numquæ niſi puellæ, adeò id erat

Iliados. — *l. 2.* — *Eod. in lib.* — Fõtes aquarũ dici et Nymphas notavit Lud. Cęlius Rodig lec. antiq. l. 20. c. 26. unde Lympa & Nympha idem. Vide etiam in Heſich. νιφὰς & νιφάδες.

illis muneris aquas miniſtrare. Nec aliundè *Naiades* antiquæ, & *Nereides*, Nymphæ aquis etiam devotæ. Hæc confirmat Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 5. ex Orpheo citans.

Καὶ Βεδυ Νυμφάων καταλείβεται ἄγλαον ὕδωρ.

Nympharumq́ue Bedy promanat limpida Lympha.

De hac voce *Bedy* liceat mihi pauca dicere, quia Sylburgius & Heinſius qui Clementem recenſuêre, de illâ nihil dixêre. *Bedy* hîc videtur eſſe inſtrumentum, quo aquā effundebant Nymphæ, quo modo ſumpſit eam & Dion Thytes, ideſt ſacrificator, dicens, ὦ Βέδυ λαβὼν κατὰ χειρῶν καταχέου, καὶ ἐπὶ τὴν ἱεροσκοπίαν τρέπου. *Et acceptum Bedy effunde manibus, & verte te ad divinationem, ſeu augurium.* Olim uſus erat ſcyphi in captandis auguriis. Hinc Geneſ. 44. v. ſervi Joſephi dicunt fratribus ejus: *Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Sed Clemens Alexandrinus ait ex Didymo Grammatico, hâc voce aquam Phrygas ſignificare. Hoc perindè

Apud eundē Clem.

eſt, ſeu aquam, ſeu vas, in quo aqua continetur, ſignificet: Nam in Lexico Armenico Franciſci Rivolæ vox eſt huic ſimilis quam per aquam explicat, & per calicem. In Heſychio vox eſt huic accedens, Βεδὸς nempè, quæ eſt σέμμα τὶ, ϗ ἱμάτιον γυναικεῖον, ϗ πόλις, ϗ ἄγαλμα, *vitta capitis, veſtimentum quoddam muliebre, urbs, Agalma, ſeu idolum*, quæ vox à Chaldaica בדינ *badin* venit, quæ lineam veſtem, & ſimulachra, & divinatores ſignificat. Sed præterea בדי *bedy*, vox Arabica eſt, quæ principium ſignificat, & eſt inter attributa Dei Arabum: & Clemens Alexandrinus ait Sacerdotes Macedonum in precibus invocare Bedy, ut ſit eis propitius, & filiis ſuis: & ait aerem explicari: ſed fortè, cùm ſignificet principium, aquæ data eſt, quia hanc antiqui Philoſophi dixere eſſe rerum omnium principium: vel aeri, quia iidem Deos, ſeu dæmones admiſêre aëreos. Videbor fortè extra oleas ferri, ſed cùm attigerim Paſtorum Numina, putavi non ingratum fore eorum etymon, ſignificatum

veſtutatem dare. Redeo ad ſcopũ, & ad Epiſcopum. Hic dies noctesque tribus incumbit, Deo nempè propitiando ſibi & populis, literis excolendis, animabus Chriſto maritandis. Et quidem PRÆSUL ILLUSTRISSIME, pietatis ſtudium, & religionis amor ſemper in animo tuo primas habuêre. Muſæ verò videntur tua in domo natæ, aut Helicone in eam commigraſſe: quarum neſcimus, leporem, an gravitatem, an eruditionem variam ac profundã mirari debeamus. A Pontifice autem his dotibus inſtructo, quid non ſperandũ? Sed non deſit aliquis, qui laudibus tuis invideat, & dicat virum quem ut canonum & veteris diſciplinæ vindicem attollo, vel ab ipsâ hujus diſſertationis inſcriptione argui, in qua Epiſcopus & Abbas appellatur. Dolerẽ Chriſti Miniſtros inſignes qui nunc in Galliâ ſunt, & quos multis exemplo eſſe avent omnes boni, ullã quantivis momenti labe contaminari. Itaque refert magni, ut quatenus id canones prohibeant, ego paucis aperiam. Et quidem

quin aliqua cauſa juſtiſſima occurrere poſſit viro prudenti quæ ſuadeat, ſi plura habeat beneficia, ea nõ abdicare, nemo opinor, inficias ibit. Ut ſi Epiſcopus eſt cum numeroſâ pauperum plebe, quibus proprii reditus ſatis eſſe nequeant, nec aliundè Beneficio quicquam detrimenti accedit, ex hac bonorum erogatione: certè è re Chriſtiana eſt, & totius Diœceſeos, ut retineat quæ habet. Nõ taxabitur avaritiæ: quia ad pios uſus, quibus impar eſſet, reſervantur. Non bigamiæ ſpiritualis: quia licèt quæcumque Beneficia à primæva ſui inſtitutione præſentem exigant poſſeſſorem, qui officiis loco ſacro debitis fungatur, tamen alia aliis magis id requirunt, & in quibuſdã boni publici cauſa, præſentia illa facilè ſuppleri poteſt. Nihil contra mentem fundatorũ: quia bona illa Deo & pauperibus conceſſa ab ipſis ſunt, quibus liberaliſſimè redduntur. Beneficiis non fit injuria: quia his magna cum ſollicitudine provident. Et nè exiſtiment multi, me hîc pruritum Beneficiatorũ ſcal-

tat Onuphrius, quaſi Majores domus Pontificię, quibus Patriarchii Lateranenſis cura & adminiſtratio committebatur. S. Hippolytus Epiſcopus Bellicenſis fuit etiã Abbas Cœnobii S. Claudii, illius enim Monaſterii Cartularium ait de illo: *Et quandiu fuit in humanis cum Bellicenſi Eccleſia dictũ rexit Cœnobiũ.* Vixit A. DCCLXVIII. S. Vdalricus Auguſtanorum Vindelicorum Epiſcopus, qui vivebat A. DCCCCL. Abbatiam Vtimburã ab Othone Magno petiit, & obtinuit, pio utique fine, & qui ſanctum non dedeceret. Ecce quot properanti occurrunt. Nec temerè me facturum crediderim, ſi ſanctiſſimis illis Præſulibus addam Eminentiſſimum Cardinalem Franciſcum Rupifucaldium, virum, ut alia ejus ornamenta omittam, tanto erga Eccleſiam amore præditum, tanta canonum obſervatione vigentem, doctrinâ adeò purâ clarum, ut magnis Eccleſiæ luminibus non modò comparari, ſed adjungi poſſit. Plura obtinuit beneficia: ſed quorſum bone Deus! Quàm magno beneficiorum ipſo-

rum bono! quæ & quantum fieri potuit meliori diſciplinæ reſtituit, & reditibus ſuis tantùm abeſt ut privarit, quod auxerit. Ex eo verò quod ſupererat, cùm moderatè viveret? quod pauperes aluit, quos nō aliter quàm ſuæ familiæ adſcriptos habuit? Quot virgines locavit, quas nè vidit quidem? Quot viduas, quot afflictos, deſperatosque ab extremâ reduxit miſeriâ, quos in numerato quidē, ſed non in aperto habebat? Domum ejus ingredientibus, domum inquam, non Palatium, non Regiam, an beluata tapetia ſerico filicata? an auro argentovè fimbriata conopea? an teſſellata, aut encauſto picta pavimenta? an pretioſa, & oculos fulgore ſuo reverberantia laquearia occurrerunt? Nam collucentibus inambulare pavimentis, nonne hoc eſt lucem cælumque pedibus conculcare, & ſolem in ſolo quærere? & extracta viſceribus terræ metalla in ſuprema cubiculi parte attollere, nonnè hoc eſt terram cælo præferre? Et hoc à Clericis & Sacerdotibus, & Chriſto con-

crucifixis, quibus non ſatis eſt ſuberbè loqui & agere, niſi ſuperbè dormiant, ne ulla vitæ ſuæ hora vacet peccato. Et audent Cardinalem Rupifucaldium in exemplum adducere? Eccleſiam ſuam Viro clariſſimo piiſſimoque reliquit, cùm ei per ætatem vix ſufficere poſſet, nec tamen ut ad aulam ſe cõferret, ſed ut in Monaſterio cujus erat Abbas, Deo & canonicis ſuis religioſis, ſed & Eccleſiæ quam numquam oblitus eſt, viveret. Sed abſit, ut in tam anguſto hujus diſſertatiunculæ angulo laudes tanti viri concludere velim. Certum ſcio, qui in reprehenſionem vocant, eum non noverunt. Neque his exemplis abuti poſſunt, qui aggerunt beneficia ad majorem familiæ apparatum, & ut menſâ fruantur magis oppiparâ: ſed iccircò ea proferimus, nequis Præſules ſanctiſſimos in judicium vocet. In his enim & hujuſmodi non poſſeſſio, ſed uſus poſſidentem prodit. Et tantùm abeſt, ut horum virorum maximorum vitâ quis ſe tegere poſſit, quod illa ipſis erit & con-

fuſioni, & damnationi. Fatendum Epiſcopos hac in parte maximè prudentes eſſe debere: neque hac abuti licentiâ, piovè prætextu, nè ipſi aliis occaſioni ſint avaritiæ & crudelitatis in pauperes. Sicut olim Numa regionem cui tum Roma imperabat, in pagos diviſit, & unicuique præpoſuit, *ἄρχοντα ἐπίσκοπόν τε καὶ περίπολον τῆς ἰδίας μοίρας*. Epiſcopum, Principemvè, qui obiret & inſpectaret, ut dicit Dionyſ. Halicar. cujus id erat muneris agricolis præeſſe, & eorum circa colendos agros, vel diligentiam, vel ſegnitiem Regi referre. Sic omninò Epiſcopi ſub ſe habent beneficiarios omnes tanquam agri Eccleſiaſtici cultores, quorum vitam Chriſto Regi exhibere debent, undè cavendum nè operibus ſuis pulvinar illis prębeant, cui molliter incumbāt: & nevè hi dicant: *Pax pax, ubi non eſt pax.* Cur autem in hac diſſertatione Te tamdiu morari auſus ſim, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, poſſem in excuſationē afferre Iſocratis verba, quibus ſibi fiduciam paravit ad Alexandrum

Lib. 2, Antiq. Rom.

drum ſcribendi. φιλάνθρωπος εἶ, καὶ φιλαθήναιος, καὶ φιλόσοφος. Humanum te eſſe ſciebam, & antiquæ doctrinæ amatorem, & neminem aſpernantem. Aliud tamen me præterea movit. Malim cum Sacerdote de rebus ſacris prolixa, quàm jejuna & exangui oratione tractare. Pauci ſunt; quibus tam ingenuè & abſque fuco Christiana ſenſa exponere poſsimus: pauci admodùm veritatum Evangelicarum patientes. Et ſi qui ſint, pauci eas audent palam efferre. Ex quo Chriſtus interfectus eſt, quia vera dixit, pericula imminent vera dicentibus. Deindè verò ſcribimus iſta, non tibi, Sapientissime Præsul, ſed poſteris: (ſi quid tamen permanſurum cudimus,) quorum intereſt noſſe corruptis hiſce temporibus vixiſſe Præſules Canonum Eccleſiaſticorum, & vigoris regularis aſſertores ſtrenuiſſimos, & obſervatores. Et tantùm abeſt, ut docere velim, dum hæc effundo, & largiore ſtylo, dedicationem hanc exaro, ut tanquam ovis gregis tui, & Andegavenſiū minimus, atque

è minimis, à Te doceri, & ad ſolida pietatis ſtudia promoveri ſemper optaverim. Quod autem repetito ſubindè impetu monſtra quædam invehor, facilè patiar exiſtiment homines, mera me cerebri mei figmenta perſequi, cùm omnium Præſulum, quantum eſt qui in Gallia vivunt, nemo ſit in quem calami mei acumen defigere voluerim: omneſque ac ſingulos debita cum reverentia colere, officii mei ſit, & propoſiti. Cœterùm in tam ampla civium meorum lętandi ſegete, quæ Te poſſidentibus occurrit, non debui ſilens & deſes remanere. Volui conferre ſymbolum: Et licet munuſculum ſit quod dono, tamen annoſum eſt, & grave, & antiquos Eccleſiæ mores ſpirans, & iccircò dignum Præſule, dignum Henrico Andegavenſe.

FINIS.

TYPOGRAPHUS LECTORI BENEVOLO.

PAucis te volo *Amice Lector*: Selectas J. FRONTONIS Canonici Regularis, & Academiæ Pariſienſis Cancellarii Epiſtolas, diverſis temporibus, ſeparatimq; in publicum editas, quales è prælis Pariſienſibus Superiorum permiſſu prodiêre, puras & illibatas, verùm breviori ac commodiori formâ in exiguum volumen redactas, lubens offero: Authoris doctrinam, eruditionem, morum integritatem ſi ſcire deſideres, Elogia quibus ei Academia Pariſienſis poſt obitum parentavit, ſolutâ & ſtrictâ oratione conſcripta conſule; habes illa curâ & diligentiâ *Petri*

Lalemant in Academię Pariſienſis Cancellarii dignitate ſucceſſoris, anno quidem elapſo è vivis ſublati, ſed in ſcriptis Chriſtianam pietatem mirè redolentibus ſuperſtitis, jam à pluribus annis prælis excuſa : quod ſi tibi per temporis otium id minimè liceat, illas ipſas Epiſtolas lege & perlege, & haud dubio ingenuè fateberis merito jure à doctiſſimis illuſtriſſimiſque Viris ad quos conſcriptæ ſunt, in ſummo pretio habitas. Vale.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google